



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Gregorii Papae IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO CHRISTI 1125.

ire: quia forte non haberent me pro pari, si secus fieret. Cumque hincinde fuisset plurimum altercatum, precepit archiepiscopis singulis legatus cum presentibus, ut conuocatis seorsum unusquisque suffraganeis, cum eis deliberarent super negotio prefato, & traderent legato consilium suum redactum in scripto. Quo facto, legatus excommunicauit omnes qui super hoc sua consilia reuelarent, dicens se ea velle domino papa significare, & Francorum regi ostendere.

Post hæc subiungit, quod legatus expetuerit in singulis cathedra- libus ecclesiis duas præbendas Romanæ curiæ applicari: quodque procuratores capitulorum allegatæ petitioni nequaquam consentiendum esse responderint, ob causas quas ille prolixè enarrat.

Hanc Synodum Coloniae habitam nescio quo auctore refert Bzo- uius in annalibus anno 1125. numero 4.

CONCILIVM

ANNO CHRISTI 1126.

VVESTMONASTERIENSE,

IN CAUSA ROMANI PONTIFICIS DVARVM præbendarum obuentiones suæ curiæ assignari peten- tis, celebratum in Anglia anno Domini M C C X X V I. tempore Honorii papæ III.

NOTA.

Concilium.] Acta synodalia Matthæus Parisiensis summatim ita narrat: Stephanus Cantuariensis archiepiscopus vocatis ad Conci- lium cunctis apud Vestmonasterium post pascha quos negotium tan- gebat, recitari fecit literas supradictas de beneficiis Romana ecclesia con- ferendis coram rege & prelati Angliæ, qui ad eius vocationem plene conuenerant. Sed illis auditis ac diligenter intellectis, singuli singulos ad visum monebant super concupiscentia Romanorum. Tunc rex conuocatis seorsum prelati & quibusdam magnatibus, hoc archiepiscopo dedit re- sponsum: Ista, quæ suadet nobis dominus papa, vniuersam Christianita- tis latitudinem respiciunt, & quia nos quasi in extremis orbis constitui sumus partibus, cum viderimus qualiter cetera regna erga tales se ha- buerint exactiones, dominus papa, cum ab aliis regnis habuerimus exem- plum, in obsequiis nos inueniet promptiores. Et his dictis concessa est om- nibus licentia recedendi.

VITA ET EPISTOLÆ

GREGORII PAPÆ IX.

ANNO CHRISTI 1127.

GREGORIVS IX. qui auctore Vrspergenſi prius V- golinus Ostiensis episcopus dicebatur, natione de Anagnia, ex comitibus Signiæ oriundus, defuncto Hono- Cancil. Tom. 28. Mm

Gregorius IX. quando pōtēfex factus

rio subrogatus est in Romanæ ecclesiæ pontificatum decimoquinto Kalendas Aprilis, anno Christi Redemptoris 1227. Fridericum imperatorem eius nominis secundum tamquam fœdifragum, Saracenorum fautorem, regis Hierosolymitani, atque adeo Christianorum omnium in Asia bellantium, deceptorem, voti de oppugnandis Saracenis aliquoties iuramento firmati transgressorem, iure meritoque excommunicauit. Cumque communioni ecclesiæ restitutus, & a sententia anathematis per eundem absolutus, pristinis & abiuratis criminibus grauiora adderet, ciuitates ecclesiæ oppugnaret, factionemque teterrimam, quæ iam tum Guelphi & Gibellini appellabatur, non nisi post ducentos & plures annos compositam excitaret, Saracenis magistratus mandaret, vt urbem, quæ Nuceria Saracenorum dicta est, concederet, ecclesias & monasteria spoliaret, Siculos tyrannide grauissima opprimeret, fratrem regis Tunisi, baptismum Panormi petentem, a tam sancto proposito verbis deterreret, vias præcluderet ne Concilium, quod Gregorius Romæ indixerat, conuenire posset, cardinales aliosque demum prælatos in vinculis teneret, secundam sententiam anathematis in eundem latam promulgauit. A populo Vrbe pulsus venit Perusiam, ibique biennio permansit: Franciscum, Dominicum, Antonium de Padua, & Elisabetham regis Hungariæ filiam in numerum sanctorum retulit.

Cut Gregorius Fridericum imperatorem secundo excommunicet.

Dum Vrbe abesset, & Brundusium contra bannitos firmaret, Annibal interea Romæ cum aliis quibusdã reipublicæ perturbatoribus populum Romanum ad defectionem sollicitauit. Verum diuini numinis vltix dextera consecuta est: qua pene tota hominum multitudo peste extincta periit. Pontifex Romam reuersus populo culpam remisit: Annibalem vero senatoria dignitate spoliavit, Urbemque purgari procurauit. Ex iis qui religionem sanctorum Dominici & Francisci professi erant, plurimos emisit, qui per totam Europam Christianos ad bellum Saracenis inferendum adhortarentur. Qui breui tempore tantum profecerunt, vt innumeri sub signis principum inscripti Constâtinopolim peruenerint. Fridericus imperator tandem votum suum adimpleturus in Asiã profectus, accepta Hierosolymitanæ vrbs seditione, cum Soldano

Turcarū rege solus citra consensum ac scitum principum imperii decennales inducias contraxit. Huius pontificis & Raimundi Barcinonensis Dominicanī ordinis generalis a Clemente octauo in sanctorum numerum relati opera quinque libri decretalium collecti fuerunt. Cumque post Fridericum secundo excommunicatum, factione Gibellinorum, quibus Gibel partes Casareanas sectatus præerat, multæ ciuitates Italiae a pontifice deficerent, iamque ipsa Roma idem meditaretur, delatis per Urbem sanctorum apostolorum Petri & Pauli capitibus, habitaque oratione pulcherrima, non tantum populum compefcuit, verum etiam ad arma sumenda contra Fridericum, qui iam mœnibus Urbis imminebat, eundem commouit.

Eiusdem pontificis temporibus theologi Parisienses post longam disputationem diffiniuerunt, sine peccato mortali neminem posse habere duo beneficia, quorum alterum ad sustentationem est sufficiens. Hoc tempore, inquit chronicon Hirsaugiense, hæreticorum multorum, qui diu in occulto latuerant in Alemannia, Italia, & maxime in Longobardia, fuit detecta impietas, & complures ex iis igne combusti sunt. Sectam Nicolaitarum profitebantur, erantque iis matres, vxores & filiae omnibus semper communes: ecclesiam & prælatos contemnebant: carnes etiam in quadragesima manducabant: captiuitatem etiam episcoporum, ad indictum Romæ Concilium accedere volentium, pontifex optimus tam ægre tulit, vt præ nimio animi dolore vir prope centenarius obierit vndecimo Kalendas Septembris, anno Christi nati 1241. cum sedi apostolicæ quatuordecim annis, quatuor mensibus, & viginti sex diebus præfuisset.

EPISTOLA I.

GREGORII PAPÆ IX.

AD OMNES FIDELES.

De negotiis terræ sanctæ.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei omnibus Christi fidelibus salutem & apostolicam benedictionem.

NOVERIT vniuersitas vestra, nos de partibus transmarinis sub hac forma literas suscepisse:

Concil. Tom. 28.

Mm ij

G. miseratione diuina patriarcha Hierosolymitanus, humilis & indignus apostolicæ sedis legatus, P. Casariensis, N. Narbonensis, & N. Narbonensis archiepiscopi, P. Vintoniensis, & V. Exoniensis episcopi, hospitalis sancti Ioannis, domus militiæ templi, & hospitalis Teutonicorum magistri, omnibus has literas inspecturis in Domino Iesu salutem.

Vniuersitati vestræ necessitatem nostram instantissimam, & Iesu Christi, qui pro vniuersis fidelibus sanguinem suum fudit, negotium cogimur intimare. Non enim absque intimantis feruore, ac multiplici lacrymarum effusione accidit, quod, sicut sperabamus communiter, in passagio Augusti nuper præteriti, serenissimus vir dominus imperator, vt promiserat, in Syriam non transiuit. Quo audito, illi qui iam aduentum eius præuenerant peregrini in eisdem partibus, audientes quod dictus imperator non venerat in passagio memorato, plusquam quadraginta millia virorum fortium, in eisdem nauibus, in quibus transierant, redierunt; magis in homine quam in Domino confidentes. Ibi tamen, post eorum recessum, octingenti fere milites remanserunt, clamantes vnanimiter, & dicentes: Vel treugas rumpamus, vel communiter recedamus. Qui non sine magna difficultate detenti hac occasione fuerunt; quia vir nobilis dux de Lemburgo ex parte domini imperatoris erat exercitui præficiendus. Habito igitur concilio virorum prudentium, & præcipue domus hospitalis, & templi, ac hospitalis Alemannorū, de treuga rumpenda, præfatus dux faceret quod Christianitati ac terræ sanctæ videretur potius expedire. Sicque accidit quod dux requisitis super hæc consiliis, & receptis, die quadam specialiter ad hoc assignata comparuit coram nobis & quibusdam nobilibus terræ illius, vbi proposuit publice quod volebat treugam infringere; & qualiter vtilius ac melius in hac parte valeret procedere, ipsorum auxilium & consilium implorabat. Verum cum ipsi duci & quibusdam consiliariis suis diceretur, quod treugam periculosum esset infringere, & cum fuisset iuramento firmata, penitus inhonestum; responderunt quod dominus papa excommunicauerat omnes Crucesignatos qui in isto passagio non transirent, qui sciebat adhuc treugam

per biennium duraturam : ac per hoc intelligebant , quod volebat treugam non seruari , nec ipsi peregrini ibi remanere volebant aliquatenus otiosi . Erant & multi qui dicebant , quod si contingeret recedere peregrinos , post recessum eorum in eos insurgerent Saraceni , treuga non obstante . Mouit præterea quosdam , quod Coradinus cum dominis de Haman , & de Camele , & Halaph , grauissimam haberet guerram : vnde plus solito timet , ne ipsa treuga a Christianis frangatur . Quod si fieret , credebatur quod Coradinus , cum videret guerris se vndique coarctatum , deberet inde verisimiliter procedere verbum pacis . Habito igitur super his longo deliberationis tractatu , tandem vnus fuit omnibus spiritus , & vox vna , in sanctam tendere ciuitatem , quam Dominus Iesus Christus proprio sanguine consecrauit . Et vt facilius ad eam haberetur accessus , fuit communiter ordinatum , vt primo Cæsarea , & inde Ioppa muniantur ; quod ante passagium Augusti sequentis procul dubio posse fieri sperabatur : & tunc hieme sequenti in domum Domini cum ipsius adiutorio latantes valeant proficisci . Fuit autem hæc publicata prouiso extra ciuitatem Acon , instante festo apostolorum Simonis & Iudæ , astantibus peregrinis omnibus : vbi solenniter est imperatum , vt essent omnes parati in crastino omnium sanctorum , versus Cæsaream profecturi . Quod audientes peregrini , qui consilium ignorabant , quod exercitus tractatum haberet , firmatis munitionibus prædictis in Ierusalem procedendi , tanta subito erant deuotione succensi , quod excitauerunt oculos ad abundantiam lacrymarum : vt videbatur cuilibet se Spiritus sancti gratia adeo roboratum , quod vnus posset mille , & duo decem millia superare . Non igitur oportet vt deuotioni vestræ multis supplicationibus insistamus , vbi tantæ necessitatis euidentis instantia pro se clamat , sibi que subueniri postulat indilate : quia mora ad se trahit periculum , & festinatio plurimum erit fructuosa . Clamat autem ad singulos Christi sanguis de terra , supplicat paruus & humilis exercitus , sed deuotus , sibi celeriter subueniri : sperans in Domino , & confidens , quod negotium humiliter inchoatum , debeat ipso concedente feliciter terminari .

Vniuersi igitur & singuli , qui Christum induistis per

Mm iij

fidem, viriliter accingimini ad terræ sanctæ succursum; cum hic causa communis agatur; vestra scilicet fidei, ac totius fidei Christianæ. Nos enim promotioni huius negotii, prouisore Domino & auctore, non cessamus intendere; sperantes fiducialiter, quod in manibus fidelium fideliter perseverantium res debeat prosperari. Data Laterani, x. Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno i.

EPISTOLA II.

GREGORII PAPÆ IX.

AD STEPHANVM ARCHIEPISCOPVM
CANTVARIENSEM.

De sententia in imperatorem lata.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Stephano Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

IN maris amplitudine spatiosa nauicula Petri posita, vel potius exposita turbinibus tempestatum, sic iugiter procellis & fluctibus agitatur, ut eius gubernatores ac remiges vix contingat aliquando inter inundantium imbrium angustias respirare, vix Charybdis voragines transire, vix a Scylla declinare. Nam si quandoque prospero flatu plenis velis ad portum vehitur, subito ventus irruens ex aduerso, impulsus ab illo cuius halitus ardere facit, ad altitudinem maris & turbulentum profunditatis Oceanum navis rapitur, quæ cinctâ fluctibus mergitur, nec submergitur: quia in ea Dominus residens, discipulorum tandem clamoribus excitatur, dum fugat spiritus insufflantes, & mari ventisque imperat: fit tranquillum. Quatuor quidem procellæ quatiunt nauem istam. Nam perfida paganorum turba terram inclytam, Christi sanguine consecratam, impie detinere contendunt: rabies tyrannorum, temporalia rapiens, exterminat iustitiam, & conculcat ecclesiasticam libertatem: hæreticorum insania Christi tunicam scindere nititur, & subvertere fidei sacramentum: falsorum fratrum & filiorum dolosa perversitas concutit viscera, & latus dilacerat matris suæ. Sicque foris pugna, intus timores: extra interficit gladius, & domibus mors similiter intentatur. Sicque frequenter fit,

quod Christi ecclesia tot angustiis perturbatur. dum alere credit filios, nutrit in sinu ignem, serpentes, & regulos, qui flatu & morfu & incendio cuncta vastare nituntur. Hinc est quod ad monstra huiusmodi perimenda, & expugnandas acies inimicas, ac tempestatum inquietudines mitigandas, apostolica sedes his temporibus multa diligentia quemdam alumnum, imperatorem videlicet Fridericum, quem quasi a matris utero excepit, vberibus lactavit, humeris bajulavit, de manibus quærentium animam eius frequenter eripuit, educare studuit, multis laboribus & expensis vsque ad virum perfectum perduxit, ad regis dignitatis decorem, & tandem ad fastigium culminis imperialis prouexit; credens illum habere defensionis virgam, & baculum senectutis. Ipse autem dum in Teutonicam se transtulit ad habenas imperii obtinendas, iucunda, ut credebatur, auspicia, sed verius pericula matris obtutibus inferebat. Nam sponte, non monitu, sede apostolica ignorante, Crucem suis affixit humeris, vouens solenniter se in terræ sanctæ subsidium profecturum. Deinde se & alios Crucesignatos excommunicari obtinuit, nisi certo proficiscerentur tempore. Sed incidenter absolutionem petiit, & accepit; de parendo super hæc mandatis ecclesiæ prius præstito iuramento. Exuberantem autem gratiam super ipsum apostolica sedes infundens, ut festinantius ad terræ sanctæ transfret subsidium, ipsum contra morem ad coronam vocauit; qui ad hoc non inuitatus, sed multiplicatis intercessoribus inuitari per magnificos nuntios consuevit. Sicque idem sub Crucis vexillo vsque ad hæc tempora propria negotia plenius & perfectius consummauit. Tandem cum manibus felicitatis recordationis Honorii papæ prædecessoris nostri in B. Petri basilica recepisset diadema de manibus nostris, tunc in minori officio constitutus, Crucem resumpsit, voto publice innouato. Plures sub spe sui subsidii ad Crucem sumendam induxit; & certum recipit terminum transfretandi. Habito quoque postmodum apud Verulas cum ecclesia Romana colloquio, iurauit publice se in certo termino, a Romana sibi ecclesia præfigendo, & tamquam imperatorem honorifice profecturum. Exinde apud Ferentinum in colloquio simili, duorum annorum transfretandi elegit

sibi terminum, & præfixit. Sicque transiturum, & nobilem mulierem, natam carissimi filii nostri in Christo Ioannis regis Hierosolymorum, illustris ipsius regni heredem, in coniugem recepturum, solenniter præstito iuramento sponndit. Adiungens quod per hoc ad obsequium terræ sanctæ, non ut ceteri peregrini, sed ut Templarii & Hospitalarii se in perpetuum obligaret. Appropinquante itaque termino prælibato, cepit excusationes multiplices prætere, se ad transitum asserens non paratum: & ut denuo terminum sibi daretur terminus annorum, grandia obtulit obsequia terræ sanctæ, cum obligationibus satis magnis. Apostolica vero sedes, ne tantis laboribus exsufflatis, & inutiliter sic exhaustis, totum dissolueretur negotium, quod huic principi post Romanam ecclesiam principaliter incumberebat; habito plurium episcoporum & aliorum virorum consilio, de contingentibus nil omitens, venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem episcopum, & bonæ memoriæ G. tituli sancti Martini presbyterum cardinalem, ad confirmanda illa quæ imperator pro Crucis obsequio spontaneus promittebat transmisit. Cumque ad sanctum Germanum cum pluribus Alemanniæ principibus pariter convenissent, imperator propria manu iuravit; quod inde ad biennium, id est, in passagio Augusti nunc proximo transacto, omni excusatione & dilatione cessantibus, transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad suum stipendium, pro subsidio terræ sanctæ, centum millia unciarum auri, in quinque passagiis tunc proximo futuris illuc destina- ret certis assignanda personis. Et tunc cardinales presbyteri de imperatoris consensu, in conspectu principum ac populi circumstantis, excommunicationis sententiam publice auctoritate apostolica protulerunt; in quam incideret imperator, si forte in aliquo defecerit prædictorum. Obligavit insuper se imperator ad centum chalendas, & quinquaginta galeas ducendas & tenendas ultra mare: & quod insuper duobus millibus militum passagium Crucis terminis largiretur, in animam suam iurari faciens, se ista quæ diximus impleturum, sponte consentiens in se & regnum suum ferri sententiam, si non fuerint observata. Qualiter autem hæc impleverit, advertas. Nam cum ad
eius

eius frequentem instantiam multa Crucesignatorum milia per excommunicationis sententiam coarctati in termino destinato ad portum Brundusii properassent, quia gratiam suam imperator subtraxerat ciuitatibus fere cunctis in portibus constitutis, & idem a prædecesore nostro ac a nobis frequentius monitus, ut diligenter pararet omnia, & fideliter quæ sponderat adimpleret, ipse promissorum, quæ sedi apostolicæ & Crucesignatis per prædicatores & literas suas fecerat, de sponcione passagii necessariorum & victus, suæ salutis immemor, tamdiu in æstiuu feruoris incendio, in regione mortis & aeris corruptela detinuit Christianum exercitum, ut non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium & magnatum pestilentia, sitis ariditate, ardoris incendio, ac multis incommoditatibus expirauerit. Inter quos defecerunt bonæ memoriæ episcopi Andegauensis & Augustensis. Pars vero non modica infirmitate grauata regrediens, in viis, in siluis, & planitiis, in montibus & speluncis occubuit iam ex parte. Sane reliqui, vix obtenta licentia, licet galeæ, chalendaræ, ac naues sufficientes ad transitum victualium, hominum, & equorum, ut promiserat, non adessent, in festo tamen beatæ Virginis, cum iam temporis instantia immineret, ut naues transmarinis partibus inciperent remeare, fulcare maria inchoarunt: sed pro nomine Iesu Christi se discrimini committentes, ac credentes imperatorem cominus eorum vestigia secuturum. Idem vero, euacuatis promissionibus, ruptis vinculis, quibus tenebatur astrictus, calcato timore diuino, contempta reuerentia Iesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, ac relicto exercitu Christiano, exposita infidelibus terra sancta, deuotione populi Christiani abiecta, in suum & totius Christianitatis opprobrium retrorsum abstractus & illectus est ad consuetas regni delicias, abiectionem corporis suis friuolis excusationibus, ut dicitur, gestiens paliare. Attendite ergo, & videte, si est dolor sicut dolor sedis apostolicæ matris vestræ, sic crudeliter & toties deceptæ in filio, quem lactauerat, in quem posuit in hoc facto spei suæ fiduciam, in quem tot beneficiorum abundantiam cumulauit. Dissimulans interim, ne occasione

inuenta se auerteret a terræ sanctæ subsidio, exilia præfulum, spoliationes, captiuitates, & iniurias multiplices, quas ecclesiis, viris religiosis, clericis irrogauit; & obaudiens querelas multiplices pauperum populorum, & nobilium patrimonii ecclesiæ clamantium contra ipsum, quas in aures Domini sabaoth credimus introisse. Et quamuis ecclesia Romana tueri debeat filium tanta diligentia educatum, & magnificentia exaltatum; nunc ipsum gemit sine Marte victum, absque hoste prostratum, & in suæ confusionis opprobrium tam ignominiose deiectum. Non minus gemit exterminium exercitus Christiani, qui non inimicorum gladiis vel virtute deficit, sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam, quod pars residua bellatorum, exposita maris periculis & fluctibus tempestatum, absque duce, præceptore, & principe ducitur quo ignorat, modicum profectura terræ sanctæ vtilitatibus. Quibus debitæ consolationis solatium & opportuna subiectionis auxilium, impediunt iam maris frementis procellis, temporisque angustia, iuxta votum non possumus ministrare. Gemit insuper excidium terræ sanctæ, quam nunc eripi de manibus paganorum sperabamus; quam olim, vt asseritur, recuperasset Christianus exercitus per concambium Damiatæ, nisi semel eis & iterum imperialibus fuisset literis interdictum. Qui etiam non fuisset in manibus paganorum inclusus, si galeiarum subsidium, vt ex parte sua promissum fuerat, & fieri poterat, subsecutum esset. Nam Damiatæ, quæ, vt adstruitur, suo tradita nuntio, & aquilis imperialibus insignita, eodem die crudeliter spoliata, & per suos deteriorata, viliter & ignominiose per ipsos fuit infidelibus restituta. Recurrit etiam ad rediuiua suspiria, & amissionem præscriptam, recolens Damiatæ tot laborum angustias, tot expensarum dispendia, tot mortes fidelium, & tot excursus temporum, quæ inutiliter effluerunt, subortis lacrymis flere non cessat; nec est qui consoletur eam ex omnibus caris eius, nec abstergat lacrymas a maxillis. Cum ergo vox eius in Rama iam sonuerit, & Rachel non solum filios sed hæc omnia irremediabili lamentatione deploret, quis fidelium a gemitibus & suspiriis continebit? quis

filiorum cernens aquarum profluvia de matris oculis prodeuntia lacrymas non effundet? Quis matris non compatietur angustiis, nec immensis eius doloribus condolebit? Quis fidelium propter hæc non ardentius inflammabitur ad subsidium terræ sanctæ; ne Christiana iuventus ex insperato casu penitus prostrata videatur, & ignominiose animo consternata? Nonne viri cordati, & filii Iesu Christi, debent ad subsidium terræ sanctæ tanto fortius animari, quanto ignominiam iam amplius resultare conspiciunt ex insperata ruina in patrem & filium, in Redemptorem atque redemptos, in Christum & populum Christianum? Nos igitur hoc negotium tanto ardentius resumere affectamus, & profundiori consilio alta intendimus remedia inuenire, quanto magis necessitas, & ex multis inflata doloribus nostram grandis angustia paui: & sic cum Dominus populo suo modicum ostendit se iratum, de illius manu hoc tempore sacrificium non acceptans, qui prudentiam non est imitatus illorum per quem salus in Israel consuevit. Non tamen misericordiæ Dei sunt consumptæ, nec eius miserationes penitus defecerunt. Sperantes namque in misericordia Dei nostri, qui viam nobis ostendit, per quam in hoc opere prospere gradiamur: & viros secundum cor suum destinabit, qui præcedant in cordis puritate ac manuum munditia exercitum Christianum. Ideoque fraternitatem vestram obsecramus in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus hæc clero & populis vobis commissis fideliter exponentes, ac inducentes eosdem ad hæc exequenda, suos studeant animos præparare, & ipsos ad vindicandam iniuriam Iesu Christi sedulis exhortationibus inuitetis; vt cum ipsos sedes apostolica habito maiori tractatu sollicitandos prouiderit, promptos inueniat & paratos. Porro ne tamquam canes muti, non valentes latrare, videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo qui tantam iniuriam populo procurauit, imperatorem videlicet Fridericum, qui nec transfretauit in termino constituto, nec illuc in taxatis passagijs præscriptam pecuniam destinauit, nec mille duxit milites per biennium tenendos ad suum stipendium, pro subsidio terræ sanctæ ibidem: sed in tribus articulis mani-

efte deficiens, in descriptæ excommunicationis laqueum
vltroneus se ingessit; excommunicatum, quamquam inui-
ti, publice nuntiamus, & mandamus ab omnibus arctius
euitari; contra ipsum, si contumacia eius exegerit, grauius
processuri. Confidimus tamen adhuc in pii Patris clemen-
tia qui neminem vult perire, quod oculi mentis caligantes,
hoc ecclesiastico delibuti collyrio, si non fuerit animo re-
bellis, lumine poterunt illustrari; vt suam aspiciat nudi-
tatem, & ignominiam suam, quam incurrit, auertat: sic-
que recurat ad medicum, & ad matrem ecclesiam re-
uertatur, per humilitatem debitam, & satisfactionem
congruam, salutis remedia recepturus. Non enim eius
salutem in Domino affectamus interire, quem olim sin-
cere dileximus in minori etiam officio constituti. Data
Laterani, pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA III.

GREGORII PAPÆ IX.

AD ROMANVM FRANCORVM

LEGATVM.

De persecutionibus ecclesiæ per Fridericum II.
imperatorem.

Gregorius episcopus Romano Francorum legato salutem, &c.

ATTENDE quæsumus, & vide, si est dolor sicut dolor
noster, quia filium quem nutriuit ecclesia Romana
& exaltauit, sperans eum propugnatorem habere contra
perfidas nationes, ecce nunc persecutorem sentit imma-
nem, & hostem validum experitur. Et ne taceamus atro-
ces iniurias & iacturas enormes, quibus Fridericus dictus
imperator ecclesiam & personas ecclesiasticas damnabi-
liter hæcenus flagellauit, patrimonium apostolicæ sedis
per Saracenos & alios impugnat: &, quod detestabilis
est, cum Soldano & aliis Saracenis nefandis contrahens
pactiones; illis fauorem, Christianis odium exhibet mani-
festum, ad exterminandas domos hospiales & fratrum mi-
litiæ templi; per quas reliquiæ terræ sanctæ hæcenus sunt
obseruata, impie annullando. De mandato enim illius in-
ter Saracenos & Christianos, fide fracta treugarum, cum

Saracenis domorum prædictarum hostiliter inquietans; occisis & captis quamplurimis cum prædas plures abduxissent, templarii ex hoc moti insurrexerunt contra ipsos; & cum prædas abstulissent ad valorem sex millium marcarum, Thomas comes Atterarum, imperatoris baiulus, illis redeuntibus, furibūdus & currens, eamdem prædam, ipsis non audentibus, iuxta ordinis sui instituta, manum armatam contra Christianos erigere, abstulit violenter, & reddidit Saracenis: præter quædam, quæ idem Thomas sibi dicitur retentasse. Quod si Saraceni prædam auferant Christianis, dictus Thomas non solum ad recuperationem eius intendit, sed nec patitur vt Christiani prædam auferant aliquando Saracenis. Quare factum est, vt illi ex hoc violentiores effecti, nostros audacter impugnent: & nostri proditoris formidantes minus audeant refragari. Et sic effusio sanguinis Christiani nonnunquam in imperatoris damnabile lucrum cedit. Adhuc autem Thomas prædictus, vel potius imperator per ipsum, prædictas domos immanius persequens; ipsas domibus & possessionibus quas habebant vi arctiori per violentiam spoliavit; eosque priuilegiis apostolicæ sedis priuare contendens, & imperiali subiicere iurisdictioni nititur, in manifestam subuersionem ecclesiasticæ libertatis. Centum Sclauos etiam, quos domus hospitalis & templi habebant in Sicilia & Apulia, colligi faciens, eos reddidit Saracenis: nulla exinde recompensatione facta domibus supra dictis. Et sic seruis Christi seruos præfert Machometi; vt ex præmissis ostenditur euidenter. Adhuc pro certo scias, quod licet dictus imperator cum paucis militibus mare dicitur intrasse; contra patrimonium ecclesiæ magnum exercitum Christianorum & Saracenorum multitudinem destinavit; vt de obseruatione fidei & malignitate constet, omnibusque manifestum exhibeat argumentum. Vnde, inquam, firmam spem fiduciamque habemus in illo, qui ecclesiam suam supra fidei petram stabiliens, quantumcumque irruant venti, & inundent flumina, ipsam tamen non permittet euerti, vel naufragari. Dum itaque videmus cum in subuersione fidei Christianæ ita nequiter machinantem, ita impie sæuientem, posse extremum periculum formidare. Sed quantumcumque

impii prolongetur iniquitas, nunquam tamen in sua poterit prauitate præualere, sed in ea potius euanesceat. Cum igitur ex officio, licet indignis nobis iniuncto, providere cogimur ne minister Machometi in Christi ministros diutius valeat defæuire, sed fæuiens potius confundatur, & gloria Christiani nominis exaltetur; dilectioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus per terram legationis tuæ hæc solenniter prædices Christi fidelibus, vt pro statu fidei, & religionis obseruantia, stent ex animo tamquam prosequentes singuli proprium interesse, ac salutaribus monitis effectibus eos & exhortationibus inducere non postponas.

Datum Laterani Nonis Augusti pontificatus nostri anno secundo.

EPISTOLA IV.

GREGORII PAPÆ IX.

AD ELIENSEM ET LONDINENSEM EPISCOPOS.

De electione abbatis sancti Albani.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus
Eliensi & Londinensi episcopis salutem & apostolicam
benedictionem.*

MONASTERIO sancti Albani Lincolniensis diocesis, quod ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinet, abbatis solatio destituto, dilecti filii prior & conuentus ipsius monasterii, sicut accepimus, requisiti prius, sicut moris est, assensu regio & obtento, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, de abbatis futuri substitutione tractantes, post diuersos tractatus, quibusdam de collegio eligendi ei abbatem, potestatem plenariam vnanimiter contulerunt. Iidem vero electores, Deum habentes præ oculis, collatione super hoc & deliberatione habita diligenti, & Spiritus sancti gratia inuocata, dilectum filium fratrem Ioannem de Hertford, eiusdem monasterii monachum, virum, vt asserunt, prouidum & discretum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspexitum, & cum eis a puero laudabiliter conuersatum, in abba-

rem eorum & patrem concorditer & canonicè elegerunt. Quorum electionem solenniter publicatam vniuersi & singuli approbantes, nobis per dilectos filios fratres Reginaldum & Nicolaum monachos & nuntios suos, ac literas, humiliter supplicauerunt, vt, cum per eundem Ioannem grata ipsi monasterio in spiritualibus & temporalibus incrementa sperarentur auctore Deo prouentura, & relictis dispositionibus nihil debeat difficultatis afferri, electionem huiusmodi confirmare de benignitate sedis apostolicæ dignaremur. Licet igitur prædicti nuntii solícite super hoc institerint & prudenter, & nos pro eodem monasterio libenter quod cum Deo possumus facere intendentes, electionem ipsam, examinatam prout conuenit diligenter, canonicam inuenerimus quoad formam; quia tamen de personæ meritis plenam notitiam non habemus, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus quæ circa electi personam inquirenda fuerint solícite inquirentes, si eam sufficientem inueneritis ad eiusdem monasterii regimen assumendum, præmissam electionem auctoritate apostolica confirmetis, & electo faciatis eidem obedientiam & reuerentiam debitam exhiberi, ac munus benedictionis impendi: recepturi ab eo post modum pro nobis & Romana ecclesia fidelitatis solitæ iuramentum, iuxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin, ea rite cassata, faciatis dicto monasterio de persona idonea per electionem canonicam prouideri; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Formam autem iuramenti, quod ipse præstabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes literas suo sigillo signatas quamcito poteritis per proprium nuntium transmittatis. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilo minus exequatur.

Datum Perusii, &c.

EPISTOLA
GERMANI ARCHIEPISCOPI
CONSTANTINOPOLITANI
AD GREGORIVM PAPAM ROMANVM.

De vnitate.

*Sanctissimo & excellentissimo papæ veteris Romæ & apostolicæ
sedis rectori Germanus miseratione diuina archiepiscopus
Constantinopolitanus nouæ Romæ.*

O Domine Iesu Christe, saluum me fac, o Domine, bene prosperare: te enim lapidem angularem, honorificatum, preciosum, electum, in fundamentum pono huius negotiationis toti orbi salutifera. Didici enim per prophetam tuum Isaiam, quod omnis qui credit in te, talem lapidem existentem, nullatenus confundetur, neque a suæ spei base poterit commoueri. Et ita se habet veritas, & nullus contradicere auder, nisi patris mendacii discipulus fuerit. Opus autem tuum est, qui lapis angularis existis, coniungere quæ procul sunt, vel quæ inter se distant, & ea quæ diuisa sunt in vnitatem fidei congregare. Tu enim es qui & procul & prope existentibus pacem euangelizasti, & fines orbis terrarum per tuarum super Crucem exaltationem manuum ad eusebiam conuocasti, & paterno more super humeros eleuasti. Tuæ igitur inestimabili clementiæ supplico, qui Patris es Verbum omnipotens, consubstantialis sapientia Dei, ædifica in me domum huius rei, & tu sis eius & fundamentum & testium, qui iuxta theologiam vocem Ioannis Alpha & Omega diceris, tamquam omnium principium & finis incircumscriptus.

Ac in primis oculos eleuantes ad montes cælestes, vnde venire nobis auxilium orauimus, deinde ad te sanctissimum papam, qui apostolicæ sedis primatum sortitus es, sermonis mutamus exordium; & velis descendere aliquantulum ab altitudine gloriæ, & incumbere verbis meis, qui miser sum & vita & sermone; si tu, inquam, assimilaris ei qui in altis habitat, & humilia respicit Deus. Incipiam autem hinc: Inuestigabilis sapientia Dei, quæ ex
non

non esse omnia simul produxit ad esse, semper autem continet, & provide regit, consuevit multoties ex minima occasione, velut quodam fundamento diu anteposito, magna opera postmodum superædificare, ad commune proficuum & salutem. Ioseph in Ægyptum argenteis venditus, seruus deducitur in lacum, & in carcerem truditur: quæ autem secuta sunt postmodum, quam gloriosa, quam honorabilia fuerint, & qualiter Deus in medio eius glorificatus extiterit, sapientissimam mentem sacræ animæ tuæ, sanctissime pater, non latet. Ad quid autem sermo respiciat, & quid significare vult, fratres præsentem, quos quidem periculosus occursum & iniustus carcer fecit nostro vultui præsentari, vestræ sanctitati exponit: quorum numerus prudentum virginum numero æquipollet. Nam & lampas operum suorum, & quod ex ea lumen exit, coram hominibus lucet in gloriam cælestis Patris; ac prudenter oleum boni operis apponunt semper, ne lumen lampadis extinguatur, & ipsi ad somnum trahantur accedat, & introitu regni careant. Sine baculis sunt omnes, & vestes singulas singuli habent, & sine calceamentis. Nunc autem pedes eorum pulcros secundum Apostolum existimo, tamquam euangelizantium pacem inter Græcos & Latinos, ut breuiter dicantur, velut ex toto vacui, & leuissimi & expediti cursores, ad Christum properantes attingere, qui omnium bonorum est meta. Ad quem cum peruenerint, sistunt cursum, & percipiunt quod peroptant. Hi quidem, qui secundum Deum minores fratres dicuntur, sic vniti in vna voluntate & vnanimitate æquipollentes in quinquenario numero, in bonum signum apparuerunt, & spem bonam proposuerunt de vnitate & concordia, annuente Domino, inter quinque patriarchatus. Accesserunt autem in domum nostram fratres ipsi ex diuina prouidentia, sicut credidi, quæ cuncta disponit in eo quod expedit: & cum hinc inde inter nos multa verba fuissent exorta, vertebatur magis locutio præ ceteris super schismate longi temporis tunicæ inconfutiles eusebiæ desuper contextæ, qua veste videlicet apostolorum manus catholicam Christianorum ecclesiam induerunt. Præsumptuosæ non quidem manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensus sciderunt & diuiserunt, & schisma e-

quidem magnum & multorum annorum, & nullus est qui misereatur sponsæ Christi, quæ sic scissa veste induta est, aut quis eius velit turpitudinis misereri. Hoc, ut credo, & David in libro psalmorum plangit, dicens: *Diuisi sunt, & non sunt compuncti*. Si enim compunctionem habuissemus, doleremus, & contristaremur: & si tribulationem & dolorem inueniremus, nomen Domini utique inuocaremus, & adhuc nobis petentibus adesset, sicut in medio discipulorum iam pridem pacificans discordes, & cogitationum amphilogiam corrigens. Numquid enim non mordentur eius viscera? numquid non contristantur propter discordiam? etiam valde. Pater enim est, & omnium patrum piissimus, & non sustinet videre pignora hostili more se adinuicem euellentia & disperdentia, & more piscium alterum ab altero deuorari; eo quod maior contra minorem extollitur, & qui potentior est opprimit infirmiore. Siccine docuit nos piscator Petrus hominum, qui contra naturam prioris artis de morte ad vitam quos piscatus est traduxit? Heu quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte super contritione nouæ Ierusalem de gentibus ecclesiæ congregatæ? qualiter electus populus Dei, in Iudam & Israel diuisi fuimus, & ciuitates nostræ in Ierusalem & Samariam? Ea enim quæ de Cain & Abel, vel Esau & Jacob contigerunt, qui fratres quidem natura erant, hostes quidem mente, & sic contrarii. Piget me hæc sermoni inferere, ne forte primatui fraternitatis iniuriari videar, aut subripere velle credar primogenita. Verumtamen, nec pater meus senuit, nec oculi eius caligauerunt, sed in cælis existens liquide omnia videt; & his qui iniuste oppressi sunt benedictionem largitur. Sunt quippe hæc amara valde, & intelligenti tinea ollium, si frequenter ad memoriam deducantur. Sed quod sequitur, vel quod dicendum est, amarius, & malorum omnium est pessimum, & omni gladio secante vtriusque magis acutum, & magis refecans, contra quoscumque hominum fuerit adductum, siue contra Græcos, siue contra Latinos. Quid est hoc? Paulum dicentem audiamus: *Siue nos, siue angelus de cælis euangelizauerit vobis præter id quod euangelizauimus, anathema sit*. Et non semel huiusmodi gladio per-

Psalm. 34.

Gal. 1.

cutit, sed & secundo, vt maiorem dolorem ex secunda percussione adducat, & ad medicum quærendū exurgant qui mortem animarum pertimescunt. Quid ergo dicam? Omnem curam & omnem sollicitudinem aliam a mentibus excutiamus velut puluerem a pedibus, & cum omni desiderio quæramus quos tangit hic gladius biceps & terribilis, & qui sunt quos separat a compage ecclesiasticorum membrorum, quorum caput Christus est. Si nos Græcos, ostendite plagam, & sanguinem a vulnere terгите, ac emplastra spiritualia apponite, & ligamentis constringite, & saluos facite fratres in periculo positos, ne pereant; & Salomoni acquiescite prouerbialiter sic dicenti: *Frater in angustiis comprobatur.* Maxime autem Prova 7. ipsum Dominum audiatis, qui sapientiam ipsi tribuit Salomoni, & qui loquitur per prophetam: *Qui separa-* Jer. 15. *uerit preciosum a vili, quasi os meum erit.* Si autem nos quidem Græci sine plaga sumus, & absque vulnere a gladio anathematis, contra autem Italicos & Latinos acutissime adducitur, & ad mactandum & perdendum quosdam extenditur; existimamus quod non sustinebitis per ignorantiam & prauam pertinaciam vos a parte Domini separari: pro quo decem mille mortes, si foret possibile, quilibet vestrum libenti animo sustineret. Quod aut discordia magna, & dogmatum contrarietas, & Canonum destructio, & rituum, quos tradiderunt patres, immutatio, materia sint sepius, quæ separat ea quæ prius vnita fuerant & coniuncta concordie & pacis coniunctione, totus mundus vna lingua factus acclamabit, Dominum protestans, inuocans cælum & terram in testimonium, quia nos iunctis manibus vobis vniri, vel vos nobis, facta diligenti inquisitione profunda veritatis cum inuocatione sancti Pneumatis, instantissime postulamus, nec amplius schismatico scandalo immerito deturpari, & a Latinis diffamari, vel vos a Græcis deprauari. Et vt veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, nisi iniustas oppressiones & opum proteruas exactiones & seruitutes indebitas, quas a vobis subiectis extorquetis, formidarent. Hinc & crudelia bella in alterutrum, ciuitatum desolatio, sigilla ianuis ecclesiarum impressa, fratrum schismata & sacer-

dotalis ministracionis prorsus vacat operatio, ne Græcorum climatibus, vt deceret, Deus collaudetur. Vnum, vt credimus, quod Græcis iam pridem desuper fuit præfinitum, hucusque defuit; tempus scilicet martyrii: sed & ipsum iam imminet, vt tribunal tyrannicum aperiat, & sedes tormentorum proponatur, fluat cruor inundans, & nos ad martyrii stadium descendamus, & bonum certemus agonem, coronas ab Omnipotentis dextra recepturi. Nouit ea quæ dico, & propter quid, Cyprus famosa insula; quæ nouit, & quæ novos martyres fecit, & vidit milites Christi, qui prius per aquam transeuntes, lacrymarum compunctionibus & sudoribus loti, ex confessionis laboribus per longa tempora ad vltimum etiam per ignem transferunt; & eduxit eos agonothetes Deus in cæleste refrigerium. Bona numquid sunt, o papa sanctissime apostoli Petri successor? Hæc iniungit Petrus mitis & humilis Christi discipulus? Siccine instruit seniores per epistolam suam, cum scribit: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum: qui & eius, quæ in futuro est, gloriæ communicator: pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes, non coacte, sed spontanei: non turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam.* Hæc est Petri doctrina, & videbunt qui ei non obediunt. Nobis autem sufficit ad consolationem epistolæ pars illa, in qua gaudere præcipit contristatos diuersis tentationibus, vt examen fidei nostræ multo magis preciosius auro corruptibili igne examinato inueniatur, in laudem & honorem & gloriam, in reuelationem Iesu Christi. Sed concede veniam, sanctissime domine, & omnium prædecessorum tuorum veteris Romæ clementissime, & sustine verba multum amaritudinis habentia; sunt enim languentis cordis suspiria; & datur indulgentia a discretis his qui propter cordis nimiam tristitiam in verba prorumpunt per singultus. Accinge igitur sic fortitudinis lumbos tuos, & accende tuæ discretionis lucernam, & quare dragmam quæ perit super fidei vnitatem, & compatiemur sanctitati tuæ: etiam nos non parcemus infirmo corpori, nec fatiscentem causabor ætatem, prætendendo senectutis

1. Pet. 5.

excusationem ; non longam viam causabimur : quanto enim laboriosius opus est quod incipitur, tanto magis erit causa plurium coronarum. *Vnusquisque enim secundum proprium laborem mercedem accipiet*, sicut generalis stadii luctator & maxime victoriosus coronæ Paulus ait. Non ignoramus, sanctissime domine, quod quemadmodum nos Græci nitimur in omnibus obseruare orthodoxam & eusebiam sententiam, vt in nullo erremus a sanctorum apostolorum & patrum statutis ; eodem modo veteris Romæ ecclesia, bene scimus, pro se nititur, vt non existimet se falli in aliquo, neque remedio indigere se asserit vel correctione ; hoc & apud Græcorum ecclesiam & Latinorum dici nouimus. Nam nemo vnquam in propria facie existentem turpitudinem videre potest, nisi super speculum se inclinauerit ; aut ab alio certificatus fuerit qualiter se circa faciem habeat, siue turpiter, siue non. Habemus autem specula multa & magna lucidaque, clarum videlicet Christi euangelium, apostolorum epistolas, libros theologorum patrum. Inspiciamus in eis : ipsa ostendent nobis qualiter vnusquisque sentit, siue nothe, siue legitime. Qui autem ad speculum fuerit inuitatus causa experientia, cum recesserit, confitebitur etiam inuitus suum vultum esse deformem. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus nostris cito, auctorem discordia ; pacificus, odientem bonum ; qui causa est bonorum omnium, scandala facientem. Et qui pacis est Deus mittat ad nos, qui pastores sumus ouium suarum rationabilium, angelum pacis, gaudium magnum annuntiantem ; sicut prius in natiuitate secundum carnem Emmanuelis pastoribus brutarum ouium : & dignos faciat canere illam laudem mirabilem, *Gloria in excelsis Deo, & in terra* Luc. 2. *pax hominibus bonæ voluntatis*, & in sancto osculo adinui-cem salutare. Gloria Domini nostri Iesu Christi, & pax Dei Patris, & communicatio sancti Spiritus, vobiscum. Amen.

EPISTOLA V.

GREGORII PAPÆ IX.

AD GERMANVM ARCHIEPISCOPVM
GRÆCORVM.

Respondet superiori.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri
Germano Græcorum archiepiscopo salutem
& apostolicam benedictionem.*

FRATERNITATIS tuæ literis, nobis & fratribus nostris per tuum nuntium præsentatis, qua decuit benignitate receptis, earumque tenore plenius intellecto, disposuimus viros religiosos vitæ laudabilis & probatæ scientiæ ad tuam præsentiam destinare; qui verba vitæ deferent, & nostram fratrumque nostrorum exponent plenius voluntatem. Verum quia de comedente exiit cibus, & de forti egressa est dulcedo; ne ex ore mortui leonis, non sine rubore scribentis, a patre fauus exhibitus contemnatur, pauca duximus rescribenda, ne viderentur scripta despici, si contingeret non rescribi. Audiens enim sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Licet autem Christus, sicut tuæ series epistolæ retexebat, primum sit & præcipuum fundamentum fidei, quod fatemur, præter quod aliud poni non potest; secunda tamen & secundaria fundamenta legimus apostolos & prophetas: & fundamenta Sion in montibus sanctis, & ciues supernæ Ierusalem super fundamenta apostolorum & prophetarum superædificati leguntur. Inter quos primus & præcipuus beatissimus Petrus, non sine causa, sed ex prærogatiua speciali, a Domino audire meruit: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*: vt sicut in capite plenitudo sensuum consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tamquam a fonte riuulus deriuatur, sic tres fidelium ordines in ecclesia, Noe, Daniel, & Iob, prælati videlicet, continentes, & coniugati, quos Ezechiel vidisse legitur in visione saluandos, a Petro petra, super quam non domum saltus Libani, nec porticum columnarum, nec domum filia Pharaonis, sed ecclesiam suam

Ioh. 1.

ædificauit Dominus fidelibus, velut de omni genere pi-
 scium in eius rete conclusis, tamquam a primare prima-
 tum, qui de fonte dominici pectoris fluentia potauit, &
 suæ salutis debent postulare remedia, & cum omni pa-
 tientia & doctrina, non contentiose vel superbe in aliquo
 resistentes a mentis suæ tenebris dubietatis scrupulos re-
 mouere. Nec obstat quod asseris, si tempora locumque
 distinguas, Paulum Petro in faciem restitisse, cum dispen-
 satiuè ab orthodoxis patribus hoc factum esse legatur;
 dum Petrus legem Mosaicam profitendo, Iudæos, & Pau-
 lus circumcisionem euitans, totis viribus lucrifacere stu-
 duerit ex huiusmodi simulatione gentiles. Alioquin &
 Paulum perambulantem Syriam & Ciliciam, cum per-
 uenisset Derben & Lystram, ex eo redargues quod Ti-
 motheum, ex patre gentili ortum, fidelis viduæ filium,
 circumcidit. Secundo etiam & tertio vel se vel Paulum
 argues, qui cum nauigasset Syriam, & cum eo essent Pri-
 scilla & Aquila, & caput timore Iudæorum tōtondisset
 in Cenchrus, quare comam, quam ex voto nutrierat, quod
 Nazaræi, qui secundo vouerant, iuxta præceptum Moyfi
 facere consueuerant, ibidem tōtondit in lege. Si, frater
 carissime, dignitatis mysterium, & auctoritatis officium,
 pleno intellectu distinguens & Petri & Pauli zelum con-
 sideres, qui animas tantummodo sitiebant, eos nec in
 morte, quos eadem fides & passio vere fecit esse germa-
 nos, nec dum uiuerent in doctrina inuenies fuisse dis-
 cordes. Licet enim Petrus pro duræ ceruicis Iudaico,
 & Paulus pro gentili populo, lac paruulis, & escam pro-
 uectis exhibentes, diuersis linguis & ritibus laboraue-
 rint, cum iam plenitudo temporis aduenisset, vnum Do-
 minum, vnam fidem, vnum baptisma, & alios articulos
 fidei, secundum gratiam sibi datam a Domino, in vno eo-
 demque Spiritu prædicauit vterque. Fuit enim Paulus
 ex verbo Domini Petro & ceteris apostolis vniuersa-
 liter sic dicentis, *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, Ioan. 20.*
 & *quorum retinueritis, retenta erunt*, cum Petro mysterium
 dignitatis exercens; & ex verbis eiusdem auctoritatis sin-
 gulariter Petro propositis, *Quodcumque ligaueris super ter-
 ram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super
 terram, erit solutum & in cælis*, in Petro auctoritatis of-

ficium recognoscens; ideoque ad eum, tamquam primatem & euangelii dominici fontem, venit Hierosolymam; & postmodum cum ipso & aliis secundum reuelationem contulit euangelium, ne in vacuum cucurrisset. Quod iterum ex verbis Domini confirmatur, cum

Math. 21. soli Petro, si frater suus in se peccauerit, non tantum septies, sed vsque septuagesies septies præcipitur remittendum; ipsi soli oues indistincte committens, qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis & grabatis positi ad umbram eius sanabantur infirmi. Cuius auctoritas ex eiusdem Domini

Luc. 5. verbis expressius confirmatur, cum sibi dictum est: *Duc in altum*; & pluraliter subinfertur: *Laxate retia in capturam*. Si igitur Petrus propter excellentiam fidei, qua in vno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum

Math. 16. dixit: *Tu es Christus, Filius Dei viui*, clausus regni caelestis in terris solus accepit; cum *Vnus sit Dominus, una fides, unum baptisma*, vnum principium, vnum corpus militantis ecclesiae, & corpus cum multis capitibus monstruosum, & sine capite acephalum censetur; restat vt ad regimen generalis ecclesiae, quam idem cum Paulo & ceteris de gentibus Graecis, Latinis, & Barbaris congregauit, caput eiusdem, & suum Dominus, per ea quae præmissa sunt, ostenderet successorem. Præuidens autem Dominus quod ecclesia a tyrannis conculcetur, & ab hæreticis laniaretur, & a schismaticis scinderetur, dixit: *Rogavi pro te, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Ex quo colligitur euidenter, quod ad sedem Petri omnis quaestio fidei referenda sit. Sed, quod dolentes dicimus, vt epistolæ tuæ verbis vtamur, præsumptuose quidem, non per manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensus, veri Ioseph talaris tunica & inconfutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit videamus. Cum Graecorum ecclesia a Romanæ sedis vnitatem recessit, statim privilegio caruit ecclesiasticæ libertatis; & quæ libera fuerat, facta est sæcularis potestatis ancilla, vt iusto Dei iudicio, quæ noluit diuinum recognoscere in Petro primatum, toleret inuita dominium sæculare. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem proficiens,

fitens, & a fraterna caritate tepescens, licentius per campum licentiæ non refrenate discurrit, vt sine alicuius reprehensione licitum sub illicito palliaret, & a templo Petri recedens, a Domino quasi attritum foris eiicitur; quod virga sua Ioannes, prohibente Domino, non metitur, quoniam datum est illud gentibus, quod iam conspicis visibiliter consummatum. Quod Samaria, quæ a templo Domini & a Iuda & veræ fidei confessione recedens, facta idololatra præfigurans, bellorum cladibus continuis attrita, & pondere peccatorum grauata, (licet Elias & Elifæus, tamquam magna luminaria, ibidem, sicut in loco caliginoso, refulserint) data est gentibus, proiecta est foris in vindictam fornicationis & idololatriæ, quibus se a Domino separauit. Quod si Paulum Græcorum ecclesia se habere proponit, exhibeat, vel a successore Petri & vicario Iesu Christi in apostolorum basilica, quæ a Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officii etiam notauit mysterium, licet literis tuis sub forma reprehensionis insertum fuerit, quod Petrus ter motus, ad galli cantum excitatus, factus est ostiarius paradisi: vt videlicet qui præesse debuerat, pati sciret & compati, & ex auctoritatis officio, cui ter dictum est, *Pa- Ioan. 17. sce, non pascite oues meas, non alienas, ad successores transmissio exemplo veri pastoris, subditorum excessus ad vnitatem ecclesiæ redeuntium in spiritu lenitatis corrigeret; & cultum Christiani nominis sponte professos, ab ecclesia oberrantes, exigente contumacia, iuxta verbû Apostoli, tradendo huiusmodi satanæ in interitum carnis, ad ouile 1. Cor. 5. reduceret vel inuitos. Si vero ex compassionis affectu ad apostolicæ sedis primatem sicut verus Israelita recurris, & super contritione Ioseph de scissura inconsutilis tunicæ mota sunt tuæ pietatis viscera, passioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum Apostolo condolemus; & ei ad grates assurgimus, qui oculos cæci nati aperuit: humiliter postulantes, vt qui per collyrium ex felle piscis Tobia oculos illuminauit, corda ecclesiæ Græcorum cum tuo illuminet, & nostris tuisque temporibus ad vnum ouile & vnum pastorem prouidentia diuina reducat. Librum igitur de quo dictum est Ioanni in Apocalypsi: *Ac- Apoc. 20. cipe, frater carissime, & deuora illum: & si amaricare faciat*
*Concil. Tom. 28.**

ventrem tuum, propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt; *tamen in ore tuo erit dulcis adinstar mellis*, iuxta verbum sponsi dicentis in Canticis: *Sonet vox tua in auribus meis: vox tua dulcis*. Et prudentiæ tuæ conscientiam sine aliqua superstitione regyra, & illuminatus reperies, quod Romana ecclesia, quæ omnium ecclesiarum caput est & magistra, in speculo a te proposito (euangelii videlicet & epistolarum, & doctrina aliorum doctorum) nil contrarium inuenit, quod interpretatiue vel dispensatiue, secundum statuta sanctorum patrum, in vnitatem fidei & spiritus non concordet. In cuius libri apertione inuenies, quod Romanus pontifex omnibus omnia factus, ut omnes salui fiant, non turpis lucri gratia, vel voluntarie, sed a fratribus suis diuina inspiratione vocatus, statim seruus seruorum Dei effectus, murum pro fratribus suis & coepiscopis, & eorum subditis, contra hæreticos, schismaticos, & tyrannos, ad tuitionem ecclesiasticæ libertatis cum suis fratribus se opponit. Et licet quidam subrepant, publice tamen ab omnium incursums modernis temporibus ecclesia Romana respirat. Sed si Græcorum ecclesia patienter sustineat (ut verbis tuis utamur) verba quæ mordeant, præter animarum pericula quæ ex scissura eorum proueniunt, satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus ordo ecclesiasticus per aduersas nationes orientis in diuersa partitus confunditur, ecclesiastica libertas deprimitur, & sacerdotalis dignitas conculcatur; & non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius, quia tamquam acephali ad caput ecclesiæ reuerti contempserunt. *Reuertere igitur Sennamitis, reuertere, reuertere, ut intueamur te*: quia tunc recte poterit frater a fratre adiuuari, si filius, qui consumpsit omnia dissolute viuendo, a Domino inspiratus surgat & dicat: *Pater, peccaui in cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis*: tunc enim pater, non ut mercenario, sed ut filio reuerenti occurrens, *primam stolam proferet, & occidet vitulum saginatum*, & generale conuiuium faciens omnibus Christi fidelibus, in exultatione annuntiabit & gaudio, quod & frater & filius, qui mortuus fuerat, iam reuixit: & drachma, quæ perierat, inuenta est; & sic te in gre-

Cant. 2.

Cant. 6.

Luc. 15.

mio matris ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifeste videbis in speculo puritatis, quam ecclesiæ Latina seruat in fidei vnitare, quæ non recipit maculam neque rugam. Datum Reati septimo Kalendas Augusti, anno sexto.

EPISTOLA VI.
GREGORII PAPÆ IX.

AD EVMDEM.

De vnitare ecclesiæ.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Græcorum salutem & apostolicam benedictionem.

CVM, iuxta testimonium Veritatis, occasio sit errorum ignorantia scripturarum, cunctis expedit illas legere vel audire, quia quæ in eis inspiratio diuina reposuit pro doctrina sequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sane sub Ieroboam, qui peccare fecit, vt legitur, Israel, præsumpta diuisio tribuum patenter signat schisma Græcorum, & multitudo abominationum Samariæ, diuersas hæreses multitudinis a veneratione veri templi, Romanæ videlicet ecclesiæ, & reuerentia separatæ. Quod Chrysostronus, Nazianzenus, & magnus Basilius, & Cyrillus, emicuerint in cœtu dissentientium, eadem fuit celestis altitudo consilii, qua degere voluit inter idololatrias Eliam & Elifæum, & filios prophetarum. Nunc igitur, quia in aliis literis, quas tibi dudum remisimus, latius hanc & alias auctoritatum & omnium, quæ pro Romanæ primatu ecclesiæ faciunt, materias explicauimus, illud tantum adii-cimus, quod vtrumque gladium ad Romanum pertinere pontificem ex euangelica lectione tenemus. Etenim loquente Iesu discipulis de acquisitione gladii spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus duxit sufficere ad cohibitionem, videlicet spiritualis & corporalis offensæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quid in Matthæi euangelio Dominus dicat Petro:

Concil. Tom. 28.

P p ij

Matth. 26. *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Dicendo, *Tuum*, materiallem signauit gladium, quo percusserat ille seruum principis sacerdotum. De spirituali nemini venit in dubium, cum ei, id est Petro, per cuiusdam specialitatis apicem ligandi & soluendi commiserit potestatem. Vterque igitur gladius ecclesiæ traditur: sed ab ecclesia exercetur vnus; alius pro ecclesia manu sæcularis principis est eximendus: vnus a sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus a milite. Propter hæc ergo & alia, quæ post diligentem veritatis indaginem ordinatam te faciant sentire caritatem, latores præsentium Hugonem & Petrum, de prædicatorum, Haimonem & Radulphum, de minorum ordinibus fratres, viros virtute & religione conspicuos, morum honestate præclaros, & scripturarum sacrarum scientia præditos; iuxta quod tibi per memoratas literas intimare curauimus, ad te duximus destinandos. Vt si cum eis de omnibus quæ in quæstionem veniunt tractare fideliter & socialiter conferre decreueris; in rota, quæ infra rotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitruï, & in mari vitreo speculari, quod vnus Adam collocatus ad opus & custodiam paradisi vnâ est sortitus vxorem, vnum Dominum Iesum Christum in iustitia & veritatis scientia creatum, & vnicam sponsam eius ecclesiam præfigurans; quod Lamech, qui humiliatum sonat, dum vxorem vnâ diuisit in duas, sanguinarius factus est, & virum in suum vulnus occidit; quod alia, præter vnâ, arca non legitur, quæ, cuncta vastante diluuiio, sub vnus patriarchæ remigis potentaru paucas animas sub perfectionis numero reseruauit; quod legem Dominus secundo dedit, non alteram, sed eandem; quod duorum cherubim, qui propitiatorium obumbrabant, non aliorum versi, sed respicientes erant vultus adinuicem; & vnâ Ioseph fuisse talarem tunicam; & nostri Saluatoris inconsutilem vestem vnâ. Verumtamen, si dualitatis sensum circa eucharistiæ sacramentum vester diuersus a nostro ritus inducit, attende quod non sit aliud nec diuersum vnus Domini nostri Iesu Christi, prius in assumpta propter nos carne passibilis, post sicut a morte, sic ab omni passibilitate prorsus immunis, a Græcis pariter & Latinis nostræ fa-

lutis mysterium frequentatum. Græcus ad fidem cum discipulo iuniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua Deus miseriæ compassus humanæ homo voluit esse passibilis, eligens quotidie reminisci, hostiam constituit offerri fermentatam, vt, Apostolo dicente quod ex fermento massa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante resurrectionem corpus dominicum subiacere potuit, ostendatur; Latinus vero cum Petro seniore secutus literæ monumentum, de qua procedit spiritualis sensus, prior introiuit, & lintheamina posita, quæ sacrosanctum corpus, quod ecclesiam signat, inuoluerant, separatimque sudarium, quod fuerat super caput, aspexit, sacramentum glorificati corporis celebrare mirificentius in azymis sinceritatis elegit. Sed vterque panis simplex ante sacrificium panis est; transubstantiatione vero facta per verba dominica, panis non est; & ideo nec fermentatus nec azymus dici potest: sed ille potius creditur esse panis viuus qui descendit de cælo, & tribuit vitam mundo. Hæc & his similia docuit Petri sedem vnctio Spiritus, & sanitas intellectus. Vtinam & tu tandem aliquando iuniorem discipulum, qui vidit & credidit, secutus introeas, vt omnibus intellectis nobiscum vere psallas illud Dauidicum: *Ecce quam bonum & quam iucundum* Psalm. 134.
habitare fratres in vnum.

Datum Laterani, decimoquinto Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno septimo.

DEFINITIO APOCRISIARIORVM
GREGORII PAPÆ.

Quod Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat æqualiter.

PATER perfectus Deus est in seipso: Filius perfectus Deus, a Patre genitus: Spiritus sanctus perfectus Deus, a Patre & Filio procedens. Procedit autem ex Filio quidem immediate, at ex Patre mediante Filio. Quod enim Spiritus sanctus a Filio procedit, id Filius habet a Patre. Propterea quicumque non crediderit Spiritum sanctum a Filio procedere, in via perditionis est. Vnde sanctus Athanasius, dum in partibus occidentalibus exulabat, in expositione fidei, quam Latinis verbis reddidit, sic ait: Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a

Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Idemque Athanasius in expositione fidei, quam Græcis verbis declarauit, sic ad verbum inquit: Spiritus autem sanctus processio est Patris, omniaque portantis Filii, per quem impleuit omnia. Vnde & sanctus Gregorius, qui iure dicitur Thaumaturgus, seu mirabilium effector, Neocæsareæ Ponti episcopus, in expositione fidei, quam per reuelationem a beato Ioanne euangelista, mediante Dei Genitrice accepit, sic apertissime exclamauit, dicens: Vnus Deus Pater Verbi viuientis, sapientiæ subsistentis, & potentia ac characteris sempiterni, perfectus perfecti genitor, Pater Filii vnigeniti, vnus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character & imago deitatis, Verbum operatiuum, & reliqua. At hic de Filio loquens, dicit: Solus ex solo. Non ergo Spiritus sanctus ex solo est: ergo ex Patre & alio, cum sit ab aliquo. Ceterum dum dicimus ex Patre & alio, non dicimus ex alio quoad substantiam; at secundum hypostasim seu subsistentiam. Quod enim Spiritus sanctus immediate ex Filio sit, ex Patre autem mediante Filio, testatur Gregorius Nyssenus, ita dicens: Nos qui diuinam naturam differentia variationisve esse confitemur expertem, eam, quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non inficiamur: per quod solum comprehendimus alterum ab altero discerni, nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud autem ex causa, & ex eo quod ex causa est. Quin & aliam rursus differentiam consideramus: nam aliud quidem continenter ac sine medio ex primo est, aliud vero per id quod immediate & continenter ex prima causa est. Cum illi, quo aliqua differunt, vtrumque conuenire sit impossibile: quare continenter & immediate ex primo esse, aut solum Filio, aut solum Spiritui sancto conueniat necesse est. Quod si, vt sancti patres asserunt, inter Patrem & Filium non sit dare medium, erit igitur solus Filius ex Patre immediate, cum & secundum communem sententiam atque intellectum, id quod est ab aliquo, ab eodem sit immediate. Sed cum Spiritus sanctus sit ab aliquo, ab aliquo immediate erit: at non est a Patre immediate, sicut nunc ostensum

est; erit igitur immediate a Filio. Sanctos itaque hos patres, & inter alios beatum Ambrosium episcopum Mediolanensem, beatum Augustinum ciuitatis Hipponensis episcopum, beatum quoque Hieronymum fortissimum peruersissimorum hæreticorum oppugnatorem secutus beatus Cyrillus, & cum eo vniuersa sancta œcumenica tertia Synodus, perspicue scriptum reliquit, Spiritum sanctum ex Filio esse. Vnde quisquis eius verba oppugnat, non orthodoxus est, sed a fide aberrans. Affirmat enim manifestissime in sua ad Theodosium regem de recta fide expositione, Spiritum sanctum ex Filio esse, hisce verbis: Præterea virum dicens, qui mox adfuturus & videndus erat, ipsum dicit baptizare in igne & Spiritu sancto: non quod alienum his qui baptizantur immittat Spiritum, seruilem in modum & quasi ministrum, sed vt Deum secundum naturam cum suprema potestate, quia ex ipso & per ipsum, &c. Quid eo testimonio clarius? siquidem hic manifestissime de Filio dicit, quod Spiritum sanctum his qui baptizantur immittat ex seipso, ac proprium eius. Quin & hoc ipsum iisdem verbis Herniæ scribit beatus idem Cyrillus, in sermone ad eundem Herniam, cuius inscriptio est: De incarnatione Vnigeniti, & quod Christus vnus, & Dominus secundum scripturas. Illudque ipsum ab eodem Cyrillo in declaratione noui anathematis dicitur. In eodem quippe anathematismo proprium esse Filii Spiritum inquiens, eundemque nouum anathematismum declarans, quo sensu proprium suum esse Spiritum dixerit, aperuit dicens: Cum homo factum sit vni-genitum Dei Verbum, etiam sic tamen Deus mansit, omnia existens quæ Pater, solo hoc dempto, quod ille Pater est, & proprium habens, quod ab ipso est. Et essentialiter ipsi inhærens Spiritus sanctus. & reliqua. Vbi rursus Spiritum sanctum ex Filio esse clarissime sanctus pater affirmat. Quare nemini debet esse dubium, quin eundem hic sensum sanctus aperuerit, quem tenuit, quando anathematismum exposuit. In eodemque sensu anathematismum hunc cum omnibus aliis sancta & œcumenica tertia Synodus suscepit, in quo illum sanctus declarauit. Certum namque est sanctos patres in prædicta sancta Synodo congregatos totam tertiam iam dicti pa-

tris epistolam ad impium Nestorium Constantinopolitanum scriptam absque vlla hæsitacione irrefragabiliter suscepisse. Nouimus autem prædictos duodecim anathematismos in postrema dictæ epistolæ parte contineri. Porro si quis tamquam legitima tueri conatus fuerit impientissima Theodoriti Cypri episcopi verba, quæ ipse aduersus dicti sancti patris duodecim sacra capita licenter nimis ac temere euomuit, nouerit is a quinta sancta generalique Synodo præditi Theodoriti blasphemias damnatas esse: quippe qui aduersus beati Cyrilli verba, quibus ei respondit, nil præter calumnias dicere nouit: ait enim quinta sancta vniuersalis Synodus in actione octaua ad hunc modum: Condemnamus & anathematizamus eum, cum quibuscumque aliis hæreticis, qui damnati & anathemate percussi sunt a dictis quatuor sanctis Synodis, & ab ecclesia catholica & apostolica, & Theodorum qui fuit episcopus Mopsuestiensis, impiaque eius conscripta: & quæ impie a Theodorito conscripta sunt aduersus rectam fidem, ac contra duodecim sancti Cyrilli capita, nec non contra tertiam sanctam generalem Synodum Ephesinam, & quæcumque ad defensionem Theodori, ipsiusque Nestorii scripta sunt. Ex quibus perspicuum euadit illa, quæ Theodoritus aduersus duodecim sancti Cyrilli capita scripsit, damnata esse, impietatisque plena. Et quisquis ea vt vera & legitima tenet tueturque, inimicus existit fidei. Scribit enim beatus Cyrillus ad Acacium Melitensem episcopum, post concordiam ac pacem sanctarum ecclesiarum, sic inquit: Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, omnino nemo nobis, vt non recte scripta dicamus, persuadebit. Quid quod & ad Dynatum episcopum eodem modo scribit, vbi ait: Quæ scripsimus, recte scripsimus, veræ & inculpatæ patrociantes fidei, neque quidquam omnino nostrorum scriptorum sumus negaturi: cum neque quidpiam, vt illi referunt, sit dictum temere, verum vbique nos rectitudini adhærere fidei, veritatisque virtuti consentire oportere. Ex his itaque longe clarissimum existit, beatum Cyrillum eorum nihil inficiari quæ dixit, sed in eodem sensu, quo hæc ab eo dicta sunt, citra vllam correctionis notam perstitisse: cum neque ipse solus corrigi potuisset, licet etiam

iam

iam (quod tamen a sancto absit) voluisset, in his quæ vniuersa sancta Synodus absque vlla ambiguitate irrefragabiliter confidenterque accepit; accepit autem in eo sensu, sicut dictum est, quo exposuit, cum prima Synodo hæc suscipienda repetens. Siquidem illam sanctam Synodum omnes sancti patres in Conciliis post sequentibus venerantur, eademque cum illa credunt; quin & sancti patres, qui hanc ipsam antecesserunt, eadem cum illa sensere. Hanc fidem tenemus, sic credimus, sentimus, & profitemur.

SVBSCRIPTIONES.

Hanc fidem teneo ego Rodolphus ex fratrum Minorum ordine, domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi apocrisiarius, sic subscribo, & ita credo.

Hanc fidem ego Ammonius ordinis fratrum Minorum, apocrisiarius domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi, habeo, sic credo, & ita sentio.

Hanc eandem fidem & nos Hugo & Petrus Prædicatorum ordinis, ac domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi apocrisarii, amplectimur, sic credimus, atque ita sentimus.

EPISTOLA VII.

GREGORII PAPÆ IX.

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS,
ABBATES, &c.

De canonizatione sancti Dominici.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis abbatibus & prioribus, archidiaconis, decanis, præpositis, archipresbyteris, & aliis ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

FONS sapientiæ Patris Dominus noster Iesus Christus, cuius natura bonitas, opus misericordia, redimens & renouans quos creauit, qui vineã, quam de Ægypto transfudit, vsque ad consummationem sæculi non relinquit, sapienter signa propter instabiles mentes innouat, & mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat, dum in ecclesiæ nascentis exordio post obitum Moyse, videlicet finem legis, ascensus equos in euangeliorum quadrigis,

Concil. Tom. 28.

Q9

quæ vere sunt sanitas, arcu sacri eloquii, quem, donec Iudæus infirmetur, intenderat, & iuramentis, quæ in patribus nobis disposuerat, suscitatis, confidentiam Iericho, gloriâ mundi, quem prædicationis fremitu obstupefactis gentibus vicerat, calcaturus, viam equis suis in mari faceret, & in Rahab salutem latitudinis gentium signo cocineo figuraret, in prima quadrigarum quatuor egredientium in Zacharia de medio duorum montium æreorum protulit equos rufos populorum principes, fortes terræ, qui per obedientiam fidei Deo Abraham patris credentium in fundamentum noui fœderis adhærentes, ad ducis instar tinctis de Bosra, id est tribulationis angustia, vestibus, cuncta suæ signa militiæ rubricarunt, vt pro futura gloriæ gaudio præsentem gladium non timentes, effecti martyres, id est testes nouæ legis, libro confessionis voce subscriberent, & forinsecis miraculorum signis ad stipulationum robur appositis, librum & tabernaculum, quod Deus & non homo fixit, ac euangelici vasa ministerii non brutorum sed rationabilium hostiarum sanguine tingent, & in vniuersam spatiosi maris faciem sagena prædicationis expansa multiplicatam super numerum de cunctis quæ sub cælo sunt nationibus ecclesiam congregarent. Sed quia præsumptio multitudinem & malitia subsecuta est libertatem, in quadriga secunda, sub colore qui lugentibus ac pœnitentibus congruit, equestrè cuneum deputauit, qui ad claustrale desertum ductus per spiritum, sub noui Israelis auriga sanctissimo Benedicto, velut sub altero Elisæo, filiis prophetarum communis vitæ bonum occasione multitudinis perditum in iucundæ cohabitationis grata societate restituit, & sic vnitatis scissum rete reficiens, ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, vnde omne malum panditur, proficiscens, eum fecit in ingressis thesauros niuis & contritis corde quiescere qui dedignatur in corpore subdito peccatis habitare. Post quos quasi lassum renouaturus exercitum, & redditurus iubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, fratribus Cisterciensis ordinis & Florensis, velut tonsarum greges geminæ caritatis fetibus vberes de pœnitentiæ lauacro fecit ascendere, sancto Bernardo arietate ouium in virtute spiritus, qua ex alto indutus exti-

tit, & in abundantia frumenti vallium præeunte, vt transeuntes liberati per eum in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant castra Dei exercituum super mare. Nouo igitur Israele his tribus agminibus, turmis totidem, quas Philisthiim fecerāt, occurrente hora vndecima, cum dies iam declinasset ad vesperum, & propter iniquitatis abundantiam caritate plurimum frigescente vergeret iustitiæ radius ad occasum; quia vineam, ad quam paterfamilias operarios diuersis temporibus denarii conductos conuentione præmiserat, & quam sua dextera plantarat, non solum vitiorum vepres & spinæ peruaserant, sed iam propemodum vulpeculæ demolientes conuertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant, aduersus infestissimam multitudinem militiam adunare voluit promptiorem, & sicut impræsentiarum cernimus, post trium signis differentiū tirocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios & robustos Prædicatorum & Minorum fratrum agmina cum electis ducibus simul in prælium directurus, spiritum S. Dominici suscitauit, & ei velut equo suæ gloriæ præbens fidei fortitudinem & feruorem, diuinæ prædicationis hinnitum circumdedit collo eius. Qui gerensa pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens viuere, vitæ requisitum auctorem: & Deo deditus, ac in Nazaraum sub beati Augustini regula consecratus, sedulum circa sancta Samuelis imitatus obsequium, in castigatione desiderii piissimum Danielis continuauit affectum. Iustitiæ semitas & sanctorum vias strenuus athleta custodiens, & vel ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis ecclesiæ magisterio & ministerio non discedens, carnem spiritui, & sensualitatem subiiciens rationi, & factus vnus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, & sobriæ compassionis studiis a caritate proximi non recessit: quo sagittante delicias carniū, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit, omnis ecclesia fidelium exultauit. Ætate crescente creuit & gratia: quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad eloquia Dei dedit animum, & per euangelium Christi multos generans, in conuersione tam strenuæ multitudinis euangelicæ dignitatis officiū profitentis no-

men & opus in terra meruit obtinere maiorum: pastor & dux inclytus in populo Dei factus, nouum Prædicatorum ordinem instituit meritis, ordinauit exemplis, nec miraculis confirmare desit euentibus & approbatis. Nam inter opera sanctitatis & signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diuersorum curatis languoribus, loquela mutis, visu cæcis, surdis auditu, gressu paralyticis, & sanitate pristina multarum generibus inualetudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in eiusdem sanctissimi gleba corporis habitauit. Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essetque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides, nos cum commisso nobis grege Domini confidentes eius posse suffragiis per Dei misericordiam adiuuari, vt cuius in terris solatium gratiosæ familiaritatis habere meruimus, eius in cælis potenti patrocínio gaudeamus, ipsum de fratrum nostrorum consilio & assensu, ac omnium tunc apud sedem apostolicam consistentium prælatorum, catalogo sanctorum adscribere decreuimus: statuentes firmiter, ac vniuersitati vestræ præsentibus iniungentes, vt Nonis Augusti, antè diem quo posita carnis farina diues meritis penetravit in sancta, similis sanctorum factus in gloria, eius natalitia celebretis, & faciatis solenniter celebrari: quatenus eius precibus Deus, quem viuens coluit, exoratus, gratiam in præsentis sæculo & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos vero tanti confessoris venerabilem sepulturam, quæ miraculorum fulgoribus generalem illustrat ecclesiam, cupientes dignis Christianæ deuotionis honoribus frequentari, vere pœnitentibus & confessis, illam in festiuitate præfata annis singulis cum deuotione ac reuerentia debita visitantibus, de omnipotentis misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, annum vnum de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Reate tertio Idus Iulii, pontificatus nostri anno octauo.

EPISTOLA VIII.
GREGORII PAPÆ IX.
AD ANGLIOS.

De negotiis terræ sanctæ promouendis.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei vniuersis Domini nostri
Iesu Christi fidelibus per regnum Angliæ constitutis, ad quos
literæ istæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.*

RACHEL suum videns in veræ fidei cognitione principium accrescentium in salutem, & filiorum dextræ pia mater sancta Romana ecclesia, cuius magna est quasi mare de suæ prolis internecone contritio; vocem lamentationis, fletus & luctus emisit hætenus, & emitit, quam audiri cupimus in excelsis: vt per diem & noctem fidelium oculi doloris lacrymam deducentes non taceant, & donec misereatur Dominus non quiescant. Lamentatur autem, quia domus cælestis panis, mons Sion, vnde lex exiit, ciuitas regis magni, de qua dicta & scripta multa gloriosa, terra quam Dei Filius fuso pro nobis suo sanguine consecrauit, regni robur perdidit & fortitudinem. Flet, quia quondam libera, sub impio tyrannidis iugo cogitur ancillari. Luget, quia vbi pacem multitudo cælestis militiæ cecinit, ibi pressura gentis immundissimæ scandalorum spurcitie, abominabiles similitudines & schismata suscitauit; ac innouans exordia præliorum, misit ad desiderabilia manum suam, & sacrorum ordinum pias leges, & ipsius naturæ iura relegans a templo Domini, diuersis ibidem spurcitiis detestabilibus & ignominiosis vitiis introductis turpiter in suo stercore computrescit. Et ideo Ierusalem in suis derisâ sabbatis obsurduit, quasi polluta menstruis suos inter inimicos. Nam licet dudum carissimo in Christo filio nostro Fridrico Romanorum imperatori semper Augusto, Ierusalem & Sicilia regi illustri, ciuitas eadem præter templum Domini fuerit restituta, tamen quia Deus omnipotens tunc magnificentius agere cum populo suo Christiano non adiecit, imperator prædictus treugas iniit cum Soldano: quarum terminus adeo est vicinus, quod tempus me-

Qq iij

dium præparationi vix sufficere creditur, nisi ad quæque necessaria per promptitudinem, spem & feruorem fidei festinetur. Ad eius ergo succursum nullum tadeat peregrinari; & pro patria certare cum spe victoriæ; pro corona mori; pro vita, pro illo sustinere dura & tristia, qui confusione concepta, spūto conspersus, cæsus alapis, flagellis afflictus, coronatus spinis, coram Pilato fisci tamquam multorum criminum reus pertulit; crucifixus ad vltimum, & potatus felle, lancea perforatus, emittens cum clamore valido spiritum, pro conditionis humanæ viribus reparandis, cursum præsentis vitæ saturatus iniuriis consummauit. Hic est vt repetamus altius: qui de paterno folio gloriæ, cælis mirabiliter inclinatis, ad nostræ mortalitatis ima descendens, non dedignatus est Deus homo, creator fieri creatura, suscipere Dominus formam ferui: vt qui non poteramus per nostram iustitiam sperare veniam, consecuti per hæc gratiam inauditam, heredes Dei, coheredes vero Christi, diuinitatis consortium, felicitatis æternæ participium fortiremur. Et licet per gratiam adoptati quotidie causas ingratitude cumulemus, ipse tamen abundat in diuitiis bonitatis, dum propter diuersitatem voluntatum, virium facultatem delinquentibus, diuersa pro tempore satisfaciendi genera contulit, varia medendi languentibus remedia suscitauit; dum terram, in qua nasci, mori, & resurgere voluit, tamdiu ad exercitationem fidelium ab infidelibus detineri permittit; cum non sit abbreviata manus Domini, nec virtus eius in aliquo diminuta, quin eam, sicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento. Sed illas compassionis & dilectionis gratias exquirat ab homine, quibus, ad omnis consummationis finem legisque plenitudinem ostendendam, ipse prior homini perditio & damnato voluit miseratus adesse: qui nullatenus permisisset manus impias contra pios vsque adeo roborari, nisi & suam vindicari de nostra confusione prouidisset iniuriam, & feruari nostram de sua victoria disciplinam. Sub hac occasione delicati plurimi satisfacere pro modo criminum non valentes, nec volentes, velut in profundo malorum penitus desperassent, nisi occurrisset eis hæc tabula: vt per hoc compendium suis peccatis pro Christo animabus

consummati, breuiter multorum temporum spatia compleuissent. Multi etiam inuenire locum, vbi steterunt pedes Domini, cupientes, prius ad brauium sine cursu, vel potius ad coronam sine gladio peruenerunt; illo suum remunerante militem, qui solam considerat in oblatione voluntatem. Vt autem propter præmissa fideles efficaciter & potenter excitentur; nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint & in expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, iuxta facultatem & quantitatem suam, viros idoneos destinauerint; & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidii & deuotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum & bona, ex quo Crucem susceperunt, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus: nec non & eadem sub archiepiscoporum, & omnium prælatorum ecclesiæ Dei defensione consistant. Statuentes vt, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant, & secura consistant. Porro ecclesiarum prælati, qui in exhibenda iustitia Crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se grauiter puniendos. Quod si quisquam contraire præsumpserit, per ecclesiarum prælatos, appellatione postposita, censura ecclesiastica compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas vsuras iuramento tenentur astricti, creditores eorum per ecclesiarum prælatos, vt remittant eis præstitum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, eum ad

Ea que sequuntur extant supra in Concilio Lateranensi IV. paginis 111. & 110.

restitutionem earum simili cogi animaduerfione mandamus. Iudæos vero ad remittendas ipsis vsuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem. Et donec illis remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus, tam in mercimoniis quam in aliis, per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. His vero qui Iudæis debita soluere nequeunt in præfenti, sic principes sæculares vtili dilatione prouideant, quod post iter arreptum, vsquequo de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, vsurarum non incurrant incommoda: compulsi Iudæis prouentus pignorum, quos interim perceperunt, in sortem, expensis necessariis deductis, computare: cum huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii; quia solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Vt autem terræ sanctæ subsidium diuisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes & singulos per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum solum verum æternum Deum, postulantes vice Christi, pro Christo, ab archiepiscopis & episcopis, abbatibus & prioribus, & tam cathedralium quam aliarum conuentualium ecclesiarum capitulis, & clericis vniuersis, nec non ciuitatibus, villis & opidis, competentem numerum bellatorum cum expensis necessariis, secundum proprias facultates, in succursum terræ sanctæ alacriter destinare. Et si ad hoc vnum quodlibet non sufficiat, plura coniungantur in vnum, quia pro certo speramus quod personæ non deerunt, si expensæ non defuerint: postulantes hoc ipsum a regibus & principibus, comitibus & baronibus, aliisque magnatibus, qui forsitan per seipsos personaliter non accesserint ad obsequium Crucifixi. A ciuitatibus vero marinis nauale subsidium postulamus. Clericis vero ad hoc negotium necessariis prouidimus indulgendum; vt, omni contradictione cessante, beneficiorum suorum prouentus propter hoc valeant ad triennium pignori obligare: ita tamen quod illi, quibus committendos duxerint vel etiam obligandos, infra præscriptum tempus cum ea integritate prouentus percipiant antedictos, cum qua ipsi eos perciperent, si in ecclesiis, in quibus ipsos obtinent, personaliter residerent. Quia vero subsidium terræ sanctæ multum impediri vel retardari

con-

contingeret, si ante susceptionem Crucis quemlibet examinare oporteret, an esset idoneus & sufficiens ad huius votum personaliter prosequendū, concedimus, vt (regularibus personis exceptis) suscipiant quicumque voluerint signum Crucis. Ita quod si vrgens necessitas aut euidentis vtilitas postulauerit, votum ipsum de mandato apostolico possit commutari, aut redimi, aut differri. Vniuersis autem ecclesiarum prælatis districte præcipimus, vt singuli per loca sua illos qui signum Crucis deposuerunt resumere, ac tam ipsos quam alios Crucesignatos, & quos adhuc signari contigerit, ad reddendum Domino vota sua diligenter moueant & inducant. Ceterum, quia cursarii & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendū & spoliando transeuntes ad illam, & ab illa reuertentes, nos eos & principales adiutores & fautores excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, iniungentes rectoribus ciuitatum & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare peruersos nihil aliud est quam fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori definit obuiare, nos in personas & terras eorum seueritatem ecclesiasticam curauimus exercere: cum tales non minus quam Saraceni aduersentur nomini Christiano. Innouamus præterea excommunicationis sententiam, in Lateranensi Concilio promulgatam aduersus eos qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, vel quibuslibet aliis, aliquod eis impendunt consilium vel auxilium in terræ sanctæ dispendium; eosque rerum suarum priuatione multari, & captiuium seruos, si capti fuerint, fore censemus: præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas diebus dominicis & festiuis huius sententia publice innouetur. Et talibus gremium non aperiatur ecclesiæ, nisi totum quod de commercio tam damnabili perceperint, in subsidium terræ sanctæ transmittant, vt æquo iudicio, in quo deliquerint puniantur. Quod si forte soluendo satisficientes non fuerint, sic alias reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis interdica-

tur audacia similibus præsumendi. Quia vero ad hoc negotium exequendum est permaxime necessarium ut principes & populi Christiani adinuicem pacem obseruent, iuxta quod statutum est in Concilio generali, volumus & mandamus, ut saltem per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter obseruetur: ita quod per ecclesiarum prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treugam inuiolabiliter obseruandam. Et qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras arctissime compellantur: nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quod ipsi tali non debeant pace gaudere. Quod si forte censuram ecclesiasticam vilipenderit, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem ecclesiæ contra eos tamquam perturbatores negotii Crucifixi sæcularis potentia inducatur. Accingantur igitur omnes filii adoptionis diuinæ ad obsequium Iesu Christi, dissensiones & lites in pacis & dilectionis fœdera commutantes: credendo firmiter, quod si vere confessi fuerint & compuncti, felici commercio laboribus suis, qui cito transeunt, æternam requiem mercabuntur. Datum Spoleti II. Nonas Septembris, pontificatus nostri anno octauo.

Capitula a Gregorio papa IX. contra Patarenos edita.

EXCOMMUNICAMVS & anathematizamus vniuersos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur; facies quidem habentes diuersas, sed caudas adinuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati vero per ecclesiam sæculari iudicio relinquuntur animaduersione debita puniendi; clericis prius a suis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus hæreticos similiter iudicamus. Item receptatores, defensores & fautores hæreticorum excommunicationis sententiæ decernimus subiacere: firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a sua super hoc non curauerit præsumptione ces-

fare, ipso iure sit factus infamis; nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testamenti habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Qui si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti: & in similibus idem præcipimus obseruari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur; alias animaduersione debita puniendi. Qui autem inuenti fuerint sola suspitione notabiles, nisi iuxta considerationem suspitionis qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quod si per annum in excommunicatione persistierint, extunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes & appellationes huiusmodi personarum minime audiantur. Item iudices, aduocati & notarii nulli eorum officium suum impendant: alioquin eodem officio perpetuo sint priuati. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta: nec eleemosynas aut oblationes eorū accipiant: similiter Hospitalarii & Tēplarii, ac quilibet regulares; alioquin suo priuentur officio: ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumperint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere: nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, & proiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel priuatim de fide catholica disputare, qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu

Concil. Tom. 28.

Rr ij

a communi conuersatione fidelium vita & moribus diffidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alii per quem credat ad prælati sui notitiam peruenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur. Filii autem hæreticorum, receptatorum, & defensorum eorum, vique ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum officium seu beneficium admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Datum Viterbii VI. Idus Nouembris, pontificatus nostri anno IX.

EPISTOLA IX.

GREGORII PAPÆ IX.

AD PRIOREM FRATRVM ORDINIS PRÆDICATORVM
IN LOMBARDIA.

Prædicatores constituit executores suæ constitutionis
contra hæreticos editæ.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio priori provinciali fratrum ordinis Prædicatorum in Lombardia salutem & apostolicam benedictionem.

ILLE humani generis peruicax inimicus, omnium malorum incentor, quem de supremis ad ima superbia sua prostrauit, non contentus quod suæ fraudis nequitia hominem perduxit ad casum, ærumnis & miseriis applicandum, callide eum nititur pestiferis retibus irretire; astute sibi parans insidias ne resurgat, locum a quo ceciderat obtenturus. nouissime autem diebus istis, fidem nifus perfidia deprauare per ministros suos iniquitatis operarios, venena spargit mortifera; seditiose considerans quod familiaris hostis sit efficax ad nocendum, qui quasi dulcia præmittentes, cauda pungunt vt scorpio, in aureo tandem calice Babylonis virus pestilentia infusuri. Licet enim hæretici hætenus diutius latitantes sicut cancer serperent in occulto, & velut vulpes latarentur vineam Domini sabaoth demoliri, iam tamen peccatis exigentibus, in aperto, quasi equi parati ad prælium, præsumunt manifeste insurgere contra eam, in quibusdam locis publice prædicando, quærentes in cibum simplices, & in prædam indoctos, ac illaqueare nihilo minus fideles quoslibet suis circumventionibus cupientes, facti magi-

stri erroris qui nunquam fuerunt discipuli veritatis. Unde expedit quod insurgant viriliter contra eos, vt, eorum omnino hæresi confutata, per totum vigeat fides Christi: nam corona sequetur præmii tentationibus resistentes. Cum igitur dudum resplenduerit in partibus Lombardiæ fida fides, ac per hoc formidemus ibi potius animalia venenosa, ne forte simplices ipsorum callidis seductionibus circumuenti, & astuti prauis circumuentionibus periculose decepti, in profundum deueniant peccatorum, sicque violetur ibidem fidei firmamentum, nos, qui circa horam vndecimam inter operarios, imo verius supra operarios vineæ Domini sumus a patrefamilias euangelico deputati, moniti voce sponsi capere vulpes paruulas, quæ demoliri vineam Domini moliuntur, & tacti dolore cordis intrinsecus, non valentes sustinere tantam contumeliam Creatoris, ac volentes tot animarum periculis obuare, discretionem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta sub diuini obtestatione iudicii districte præcipiendo mandantes, quatenus aliquos de fratribus tuis tibi commissis, in lege Domini eruditos, quos ad hoc esse noueris idoneos, ad partes tibi secundum tuum ordinem limitatas transmittas, qui clero & populo conuocatis generalem prædicationem faciant, vbi commodius viderint expedire: & adiunctis sibi discretis aliquibus ad hæc sollicitius exequenda, diligenti perquirant solitudine de hæreticis & etiam infamatis, & si quos culpabiles vel infamatos repererint, nisi examinati velint absolute mandatis ecclesiæ obedire, procedant contra eos iuxta statuta nostra contra hæreticos nouiter promulgata; in receptatores, defensores & fautores hæreticorum secundum eadem statuta nihilominus processuri. Si vero aliqui hæretica labe penitus abiurata ad ecclesiasticam redire voluerint vnitatem, ipsis iuxta formam ecclesiæ beneficium absolutionis impendant, & iniungant eis quod talibus consuevit iniungi. Attentius prouisuri, ne qui videntur reuerti, sub palliata specie pietatis impietatem committant, & angelus satanæ in angelum lucis se transformet. Propter quod statuta, quæ super hoc duximus promulganda, inspicere poterunt, & ab eorum insidiis secundum discretionem eis

traditam a Domino præcauere. Ad hæc, vt super præmissis omnibus officium sibi commissum liberius possint & efficacius exercere, omnibus qui ad prædicationem eorum accesserint in singulis stationibus viginti dies, illis vero qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores & defensores eorum in munitionibus & castellis, vel alias contra ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium, consilium præstiterint, vel fauorem, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tres annos de iniuncta sibi pœnitentia relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione huiusmodi negotii forte decesserint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti ac ore confessi sunt, plenam veniam indulgemus. Ne vero aliquid fratribus ipsis desit ad prædictum negotium prosequendum, in contradictores & rebelles ecclesiasticam proferendi censuram tenore præsentium liberam eis concedimus facultatem. Prædicatores quoque quæstuarios, quorum interest caritatiua tantum subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forsan habent, exponere, a prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, compescendi censura simili, eisdem nihilo minus licentiam indulgemus.

Datum Viterbii decimotertio Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno vndecimo.

EPISTOLA X.

GREGORII PAPÆ IX.

AD ARCHIEPISCOPVM BREMENSEM, &c.

De monasterio sanctæ Mariæ in Stadio.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Bremensi archiepiscopo, & dilectis filiis decano & Ioanni Bersak, canonicis Bremensibus, salutem & apostolicam benedictionem.

DESIDERIA deuotorum, in quibus fructus æternæ vitæ contineri dignoscitur, eo promptioribus ad effectum per nos sunt deducenda studiis, quo super talibus exequendis nobis inesse debet diligentia specialis. Hinc

est quod cum monasterium sanctæ Mariæ in Stadio ordinis sancti Benedicti, Bremensis diœcesis, sicut accepimus, sit peccatis exigentibus ita dispositum, quod euidenter ibidem non absque diuini numinis offensa salus negligitur animarum, ad preces abbatis eiusdem monasterii super hoc salubriter prouidere volentes, discretioni vestræ, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum, si salubriter in suo non possit ordine reformari, de Cisterciensi ordine consilium habendo præ oculis reformare curetis, illos ex iisdem monachis, qui forte meliorationis huiusmodi gratiam consequi recusantes noluerint habitum Cisterciensem assumere, in aliis locis sui ordinis collocando, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Quod si non omnes his exequendis interesse poteritis, tu, frater archiepiscopo, cum altero eorum nihilo minus exequaris.

Datum Viterbii secundo Nonas Maii, pontificatus nostri anno vndecimo.

EPISTOLA XI.

GREGORII PAPÆ IX.

AD OTTONEM CARDINALEM LEGATVM
IN ANGLIA.

Fridericum secundum imperatorem excommunicat, & excommunicationem publicari iubet.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio suo Ottoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

SEDES apostolica, sicut totus fere orbis facti euidentia didicit, Fridericum dictum imperatorem, ex quo ipsum ex utero matris excepit genibus, affectu materno prosequens, lactauit vberibus, & humeris baiulauit; quem olim omni pene destitutum auxilio, & dubiis tantum derelictum euentibus, suo recepit patrocinio confouendum; opponens se potenter inuasoribus regni sui, qui in terram eius oculos auaritatis iniecerant. Cuius iam fines ingressi, eam absque vlllo defensionis obstaculo vsurpabant; & defendens eundem ab insidiantibus vitæ suæ, qui

æmuli salutis ipsius conabantur animam eius extinguere,
 & de terra ipsius memoriam abolere. Cumque idem pro-
 tectionis ecclesiasticæ clypeo præmunitus personæ re-
 gni sui bonæ memoriæ G. de Gualganem, tituli sancti A-
 nastasii, presbyteri cardinalis, a sede apostolica per mul-
 tos annos deputati custodis, maioris metas attigisset æta-
 tis, tandem ad altioris dignitatis apicem per eam extitit
 sublimatus. Sed diligentis studium circa personam eius
 impensum, labores plurimos quos ecclesia subiit propter
 eum, quoad ipsum perdidisse videtur; cum tot beneficio-
 rum sit immemor, tantæ gratiæ sit ingratus. Et utinam il-
 lius ingritudinis non excederet terminos, per quam per-
 ceptorum bonorum existeret negatione contentus. Por-
 ro licet offensa qualibet aculeos doloris importet, illa
 tamen iaculo grauiori percellit, in qua ingratitude pro
 gratia rependitur, & pro beneficiis maleficia compensan-
 tur. Verum quantumcumque ipsum apostolica sedes di-
 lexit, & supremæ culmine potestatis erexit secularis,
 suis tamen exigentibus culpis, de quibus, quamquam plu-
 ries a nobis monitus satisfacere non curauit, coacti sumus,
 licet inuiti, animaduertere in eundem. Nam etsi Adam
 diuina prouidentia excellentia dignitatis & auctorita-
 tis extulerit, cui omnia animantia terræ subiecit; quia ta-
 men sui iussa præterit Plasmatoris, eius excessibus non
 peperit. Quæ autem a dicto Friderico pro tot bonis si-
 bi collatis ecclesia retributionis præmia reportarit, discre-
 tionem tuam volumus non latere, pauca de multis præ-
 senti pagina declarando: In Vrbe siquidem grauem mouit
 seditionem: exinde nos & fratres nostros totis viribus ni-
 fus excludere, ut sic apostolicæ sedis honorem deprime-
 ret, ac libertatem ipsius penitus conculcaret; contra iu-
 ramenta præstita temere veniendo; & venerabilem fra-
 trem nostrum Prænestinensem episcopum, dum ipsum
 ad partes Albigensum disponeremus pro corroboracione
 fidei catholicæ destinare, per quosdam suos fideles
 in via impediri mandauit. Cathedrales etiam ecclesias,
 & alias vacantes regni sui, nequaquam ordinari permit-
 tit, in animarum periculum, & graue detrimentum ipsa-
 rum. Eas & quasdam alias nihilo minus spoliando fere om-
 nibus bonis suis, & tallias ac exactiones indebitas præ-
 latis,

latis, religiosis, & aliis clericis sæcularibus imponendo. Nobilibus, pauperibus, orphanis & viduis vsque ad inanitionem extremam deductis, eos ad modicum dura & crudelis exactorum suorum acerbitas non patitur respirare: & sic totum fere regnum, quod est spirituale patrimonium beati Petri, pro quo iuramento fidelitatis apostolicæ sedi tenetur, & ipsius ligius vassallus existit, quantum in eo est, in fauillam quasi & cinerem iam redegit. Quod si, postquam monitus fuerit a nobis, non duxerit corrigendum, nos super hoc, auctore Deo, sicut expedire videbimus, procedemus. Insuper negotium impedit terræ sanctæ, nec non etiam imperii Romanæ. Præterea cum tempore concordiæ inter ipsum & ecclesiam reformatæ, in manibus sedis apostolicæ legatorum iurauerit ecclesiæ præceptis obedire, & ipse mandatum ab eis receptum, quod terram ecclesiæ, vel terras eorum, quas tunc ad suas manus tenebat, aut ipsorum personas nullatenus caperet, occuparet, siue etiam deuastaret, adimplere contempsit, terram ecclesiæ occupando; videlicet in Lombardia, Ferrariam, Bononiam, * Pinnogoman, terram quidem Sardinia & Messanensem, Lucanensem, diocesæ capiendo, & deiiciendo illos quos ad manus suas ecclesia referuauit, & deuastando terras ipsorum, licet extunc in eum præsentem ipsi legati excommunicationis sententiam tulerint, si super his non faceret quod mandarent. Idem etiam nepotem regis Tunicii detinet, ad Romanam curiam & ecclesiam pro percipiendo sacri baptismatis lauacro accedentem. Ac dilectum filium Petrum Saracenum, nobilem ciuem Romanum ex parte carissimi in Christo filii nostri illustris regis Angliæ ad sedem apostolicam missum, & filium eius, carceri detinet mancipatos. Quia vero super his & quampluribus aliis excessibus pluries a nobis monitus correctionis medelam non sentiens, cum suarum sint vlcera indurata culparum, quotidie deteriora committere non veretur, nos hæc absque Christi offensâ præterire sub dissimulatione vltius non valentes, de fratrum nostrorum consilio, ex parte Dei omnipotentis, (cuius vicem in terris gerimus, licet inuiti) & auctoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, in eum excommunicationis &

anathematis sententiam duximus promulgandam, tradentes ipsum Fridericum satanæ in interitum carnis, ut spiritus eius in die Domini saluus fiat; omnes, qui ei fidelitatis iuramento tenentur, decernendo ab obseruatione iuramenti huiusmodi absolutos; & firmiter prohibendo ne sibi fidelitatem obseruent, donec fuerit vinculo excommunicationis adstrictus. Quocirca deuotionem tuam monemus, & exhortamur attente, per apostolica scripta tibi præcipiendo; mandantes, quatenus prædictam excommunicationis & anathematis sententiam, singulis diebus dominicis & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, sollemniter publicari, ac absolutionem & inhibitionem nuntiari procures, & facias per totam terram tuæ legationis modo simili publicari, & etiam nuntiari. Mandatum nostrum taliter impleturus, quod deuotio tua possit exinde merito commendari. Ceterum cum præfatus Fridericus de aliis magnis & grauibus sit plurimum infamatus criminibus, nos, dante Domino, super his suo loco & tempore procedemus, prout in talibus negotiis natura requirit. Verum, quia terroris sonitus semper est in auribus impiorum, & etiam quando pax est insidias suspicantur, eo quod turbata conscientia semper sæua præsumit, idem Fridericus priusquam sententia excommunicationis lata esset in ipsum, quosdam fratribus nostris decreuit literas transmittendas pro parte inferius annotatas; quæ post eandem latam sententiam ipsis præsentatæ ad nostram & eorumdem notitiam peruenerunt. Vnde quia voluit Dominus occulta cordis eius detegere, qui manifestat abscondita tenebrarum, & cordium secreta reuelat; ex ipsarum literarum tenore colligitur, quam gerat deuotionem ad Romanam ecclesiam matrem suam; quam ad summum pontificem ac fratres eius ac sedem apostolicam reuerentiam habeat, cuius ratione regni vassallus existit. Contra nos enim & ipsos conspirasse videtur: ex quo, quantum & quale crimen incurrerit, satis patet. Inter cetera vero, quæ sua continebat epistola, hæc habebantur inserta: Propter quod non indigne dolemus, si pater apostolicus offendere tam grauiter nos intendat, ut dum in constantem virum tam vehemens cadit iniuria, etsi patienter fer-

re velimus, immanitas negotii non permittat, quin ad ultiones, quibus Cæsares vti solent, facti violentia nos impellat. Verumtamen dum consideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offensoris, si ex æquo liceret priuatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem scandalum venit, & in sui participes sanguinis compensare possemus, vt in ipsum & suos attentata nostræ sedis iniuria redundaret, tolerabilius ducemus. Sed cum nec ipse, nec tota propter hoc sua passura progenies, tanti forent, vt culmen imperii zelaret ultionem ipsorum: cumque sedis auctoritas audaciæ sibi freno relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fouere pertinacia videatur; angit nos altiori mente turbatio, quod dum nos intendamus a persequente defendere, oporteat nos defendendo grauius offendere resistentes.

Datum Laterani, tertio Idus Aprilis, pontificatus nostri anno decimotertio.

EPISTOLA XII.

GREGORII PAPÆ IX.

AD ARCHIEPISCOPVM CANTVARIENSEM,
ET SVFFRAGANEOS EIVS.

Vitam, mores, ingratitude, impietatemque Friderici secundi imperatoris insinuat, & causas exprimit, propter quas sedes apostolica, post multam cunctationem, ad vindictam tandem faciendam, vel sero, serio tamen surrexerit.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi, & suffraganeis eius, salutem & apostolicam benedictionem.

ASCENDIT de mari bestia, blasphemix plena nominibus; quæ pedibus vrsi & leonis ore desæuiens, ac membris formata ceteris sicut pardus, os suum in blasphemias diuini nominis aperit, tabernaculum eius, & sanctos qui in cælis habitant, similibus impetere iaculis non omittit. Hæc vnguibus & dentibus ferreis cuncta confringere, & suis pedibus vniuersa desiderans conculcare, fidei occultos olim parauit arietes, & nunc apertas

Concil. Tom. 28.

Sf ij

machinas instruit Ismaelitarum, gymnasia animas auer-
 tentia construit, & in Christum humani generis Redem-
 ptorem, cuius testamenti tabulas stylo prauitatis hæreti-
 cæ nititur abolere, fama testante, confurgit. Igitur admira-
 ri desinite omnes, ad quos ab hac bestia contra nos edi-
 ta peruenerunt obloquia blasphemix, si nos omni Deo
 seruitute subiecti detractionum sagittis impetimur; cum
 nec ab his opprobriis immunis Dominus relinquatur. Ad-
 mirari desinite, si iniuriarum in nos mucronem exerit,
 qui ad perdendum de terra nomen Domini iam assur-
 git: sed potius, vt eius resistere aperta veritate mendaciis,
 ac illius confutare fallacias puritatis argumento possitis,
 caput, medium, & finem huius bestix Friderici dicti im-
 peratoris inspicite diligenter: & in eius verbis abomina-
 tiones dumtaxat inuenientes & scelera, contra ipsius do-
 los sinceros animos scuto veritatis armate; attendentes
 qualiter sinceritatem apostolicæ sedis, & nostram, literis
 per diuersa climata mundi transmissis, pollutis nifus est
 maculare narratibus. Dicitur Fridericus, figulus falsitatis,
 modestiæ nescius, nec aliquo perfusus rubore, mentitur
 quod nos ipsum, nobis in minori officio constitutis, ami-
 cum pristinum, fidem & mores, adepto apostolatus offi-
 cio, relinquentes, quia, sicut sacramento præstito & lata
 in ipsum excommunicationis sententia tenebatur, præfi-
 xo tempore in terræ sanctæ subsidium vel succursum in-
 firmitate non potuit prohibente transire, vinculo excom-
 municationis adstringere, postulatum ab ipso sanitate re-
 sumpta absolutionis beneficium denegare, ipsumque in
 dictum transeuntem subsidium, per nuntios & legatos no-
 stros literas processui suo contrarias Soldano mittentes,
 impedire curauimus, vt sic esset de regni Hierosolymita-
 ni recuperatione concepta frustratus: regnum Sicilia,
 pro eo quod Reinaldus olim filius ducis Spoleti, præter
 ipsius conscientiam, terram inuasit ecclesiæ, nos iniuste
 & violenter intrasse, ac ipsius homines prouocasse ad per-
 iurium, falso conqueritur. Seque de Syria in Apuliam
 redeuntem illatæ iniuriæ omisisse vindictam, acceptasse
 concordiam, & rediisse ad matrem ecclesiam gloriatur.
 Licet autem hæc figmenta publica notitia reprobet, quia
 tamen nonnunquam reëctitudinis sedem velatum occu-

pat in aure sincera mendacium, apud quam pro se veritas non inuenit aduocatum; ne in corda vestra fallitas quacumque possit fraude subrepere, dignum est vos rei per nos gestæ modum & ordinem non latere, qui dictum Fridericum, ante & postquam apostolicæ nostris subiecimus humeros seruituti, sub vulpe latentem omni curauimus gratia profèqui; donec spe, quæ patri de filio solet innasci, sublata, idem Fridericus fremens in magnitudine sua, & ex adepta fortitudine infrunitus, matri ecclesiæ pro bonis mala retribuit; & in eam, quam fucatis delinuit aliquando verborum fallaciis, virus effundere caudæ aculeo, more scorpionis, incepit. Nam cum olim terræ sanctæ necessitas, prædicta sententia, & iuramentum, ac præfixus terminus transitum eius exposcerent, & illud idem multa millia Crucesignatorum ipsum Brundusii expectantia cum instantia postularent; idem dictos Crucesignatos inibi, donec sub ignoti aeris intemperie diuersis lugendæ mortis casibus periere, detinuit, & periurium ac excommunicationis sententiam gratis incurrens, infirmus fide, sed sanus corpore, vt securius Deo mentiretur, & ecclesiam falleret, omisso promisso passagio, in lecto ægritudinis diebus aliquot simulatus decubuit, ac terram sanctam incurfibus hostium Christi exponere minime dubitauit, ex eo nullo dolore percussus, quod ibi clare memoriæ nobilis vir Turingiæ Lantgrauius, vtinam non veneni periculo, sicut mundus clamat, extitit interemptus. Cumque de conficta ægritudine, & aliis præmissis, nobis per literas prælatorum ibi morantium constitisset; ne, disciplinæ virga tanto subtracta facinori, nos & apostolica sedes redderemur inde notabiles, Crucesignatorum mortem & terræ sanctæ pericula deplorantes, & cupientes, saltē in altero, ecclesiæ lacrymas mœroris dextra debitæ consolationis abstergi, ipsum latæ in eum de consensu suo auctoritate bonæ memoriæ Honorii papæ prædecessoris nostri excommunicationis sententiæ subiacerē denuntiauius; summo desiderio postulantes, vt eum postmodum in emendationem tantorum & talium damnorum optatam præstare operam audiremus; literis nostris offerentes eidem, quod impartiremur sibi iuxta formam absolutionis beneficium, quamcito ar-

riperet iter in præfata terrâ succursum. Sed ipse, in cuius erat super his pectore cura minor, clauis ecclesiæ parui-pendens, non absolutus in Syriam transit. Vbi cum Soldano, solis sibi mœniis Ierusalem restitutus, & illi grandi ad impugnationem Christianorum transmissio equorum & armatorum exercitu, sexennale fœdus feriens, & templum dominicum Saracenorum ibi laudes exclamantium Machometi curæ relinquens, ex defensore mutatus in hostem, venerabilem fratrem nostrum patriarcham Hierosolymitanum & Templarios pro viribus expugnavit. Illud autem non debet ad sanæ mentis credulitatem accedere, quod eum in recuperatione regni Hierosolymitani nos vel legati nostri, cum ad hoc multo labore sudauerit, grandiumque ecclesiæ subierit onera expensarum, studuerimus impedire. Sed istud in notitiam omnis terræ peruenit, quod idem Fridericus, sicut in Syriæ partibus in propria persona Dei persequebatur ecclesiæ, sic citra mare ipsam diuersis tribulationibus dicti Reinaldi ministerio, quem contra consilium nostrum suum in regno vicarium reliquerat, affligebat. Cuius terram cum literis aurea bulla munitis, pecunia, & vassallis ipsius Friderici, præfatus Reinaldus inuadens, nonnullos sacerdotes & clericos suspendere, mutilare, ac fustibus cædere; nec non, statu nostro turbato Perusii, partem ipsius terræ præoccupare præsumpsit. Quem licet fideles & deuoti nostri, non valentes id vltius sustinere, a parte terræ prædictæ, Christo sponsæ suæ indulgente victoriam, eiecissent: quia tamen idem Reinaldus nequaquam ab incepta persecutione cessabat, consultius æstimantes, si originalis militiæ venas inciderent, quam iam excitati torrentis impetus nouis repletos riuulis expectarent; dictum regnum Siciliae, quod est spirituale patrimonium ecclesiæ, ne inde nos percuterent iacula vnde potius erat expectandum subsidium, intrauerunt: multique ex ipsius regni habitatoribus obedientes apostolicæ sedi, nequaquam ob id reputari debent periurium incurrisse, cum a iuramento fidelitatis, quod eidem Friderico præstiterant, ex lata in eum excommunicationis sententia absoluti fuissent. Dicto quoque Friderico redeunti de partibus transmarinis, & ad sinum matris ecclesiæ reuer-

renti, pietatis apposuimus apostolicæ gremium, ipsique ad expetitam inclinati concordiam, absolutionis beneficium curauimus impartiri. Ad hæc idem mendacii filius falsitates falsitatibus cumulans, vt quo plura mendaciorum retia orditus fuerit, eo grauioribus se doleat periculis irretitum, de nobis mendacii scripturas pronuntiat; quod eidem vt Lombardiam pacificus & inermis intraret, promittentes quod aspera sibi conuerteremus in plana, pro sua confusione subiecimus; & non permisimus obice nuntiorum & literarum nostrarum intentionis suæ metas attingere. Ac deinde, quia sibi potentia non suffragabatur armorum, in regnum redire coactus, ad instantiã nostram Romanos, tunc Viterbium impugnantes, diffidasse, & in Viterbiensium subsidium strenuam misisse militiam, se falso asserit: nosque scripsisse Romanis id præter conscientiam nostram fieri, & cum ipsis eo irrequisito reformasse concordiam, in querelam adducit; nouo sibi blanditus mendacio, quod dissidentibus iterum ab ecclesiæ pace Romanis, idem non vocatus cum Conrado filio suo, quem nobis obtulerit obsidem, ad præsentiam nostram personaliter veniens, & arbitrio nostro motam inter ipsum & Lombardos discordiæ causam exponens, terram sedis apostolicæ occupatam eius iuri restituit, & libertatem ecclesiasticam in statum primum & debitum reformauit. O vtinam iste falsidicus esset vir habens spiritum! O vtinam huius propositio falsitatis verum habuisset euentum! Ipsi vero negotium, quod per venerabilem fratrem archiepiscopum Rauennatem, de restituendis ei & dicto Conrado iuribus, ipsis in regno Hierosolymitano subtractis, ordinatum fuerat, nos, quamcito delata potuit numerari pecunia, detraxisse fidelibus suis (quos non sine ecclesiarum incendiis & hominum stragibus hostilis deuastabat insultus) ipsius interdixisse succursum, & ob id nos nuntium noluisse vel literas destinare, contrarius veritati conqueritur. Ac ciuitatem Castellæ, contra formam pacis & fratrum consilia, in sui iuris præiudicium detineri a nobis, suis exarare literis stylo mendacii non veretur. Quamquam autem his figmentis modica veritas intermixta aliquid coloris adiiciat; vt tamen apertius intelligatis quod totam huius commenti seriem non mo-

dica falsitatis adiectio decolorat, scitote pro certo, quod, sicut nunc ex temporum euentu conuincitur, discretæ menti verisimilius videretur ipsum de Lombardis suum potius consequi propositum potuisse, si se illis, quos populorum numerositas, profunditasque vallorum, armatorum copia, ac murorum reddit altitudo munitos, pietatis parentem exhibuisset, & clementiæ dominum, quam si tremantibus pro culpa imposta subditis ultionis exerto mucrone terribilis occurreret in cuneis armatorum: cui nos, qui bona pacis procurare tenemur, bona fide suasimus, vt armatæ militiæ omisso terrore, sub indictarum omissione pœnarum, & beneficiorum oblatione, illos ad imperii deuotionem reduceret. Qui etsi in Lombardiam famulis stipatus militaribus accessit, quia tamen consilii fidelis oblitus, in partem Cremonensium cedens factus est schismaticus, scissamque in discordias Lombardiam fortius scindere & Mediolanenses a se terroribus & minis abigere studuit, quos tamen ab aduersâ parte ad vnitatem trahere potius debuit in funiculo caritatis; non est quod nostræ imputetur innocentia, si spe frustratus in Apuliam rediit, ipso spei conceptæ interitum procurante. Post hæc super tuitione libertatis ecclesiasticæ, super extirpanda hæretica prauitate, nostris beneplacitis paratum se obtulit. Ad quem recurrens litera nostra respondit, quod cum in regno suo, vbi nullus manum vel pedem absque eius mouet imperio, in fidem catholicam hæresis latius venena diffunderet, & libertas ecclesiæ quasi penitus conculcata iaceret; non credebatur capiti salutis adhibere remedium, qui pedem suo reddiderat contractu morbosum. Sicque responsum huiusmodi lapsu modici temporis approbante, audito quod quidam prauo seducti consilio ecclesiæ terram intrare volebant, in Siciliam, quasi fuga capta, ne rupta promissio eum falsitatis argueret, protinus abiit, ac contra illos verbo vel opere in aliquo non processit, nobis improperans quod reuertentes ad Urbem Romanos, filios speciales ecclesiæ, ad matris dilectionem paterna curauimus diligentia reuocare. Idem insuper intellecto quod illos ab ecclesiæ caritate se iungere quidam iniquitatis filii nitebantur, & excogitato quod facilius hanc & illos opprimeret, si præfatam ca-

rita-

128. P.
ei patri
notiur
occupa
cent. V
dote igit
ur que
nobis fa
penti va
ritate
modus
ite ge
stiter.

ritatem acerbius fraude solita vulneraret, nobis tunc Reate presentibus, ad sedem cucurrit apostolicam etiam non rogatus; ubi sub multa humilitate promittens quod terram ecclesie perditam in pristinum statum reduceret, & ipsam pro viribus defensaret, in Tuscia, ad quam vires suas contulit, recuperationem cuiusdam castelli, quod ad ius ecclesie modico labore reduci poterat, impediuit. Et cum adhuc manus tradentis nobiscum esset in mensa, cum hostibus ecclesie (sicut ex consequentia facti, & literis suis, quae a nobis in tantae prodicionis testimonium referuantur, aperte conuincitur) hoc, signo dato, inde vicarius pepigit, ut ipso certa die exinde recedente, illi ad arma confurgerent. ^{*} Ista modus pestifer deuotionis obsequia praestitit. Attendite quales ecclesie famulatus occultus hostis impendit, qui in ecclesiasticum transformari non erubuit famulum, ut nobis ad nocendum fieret efficacior. Pro firmo tamen vos tenere cupimus, quod nos his sub dissimulatione prateritis, circa eum adhuc non permittentes immutari affectum apostolicae puritatis, per dictum archiepiscopum, commisso sibi legationis officio, iura ei & praefato Conrado in eodem regno Hierosolymitano mandauimus subtrahenda restitui. Qui licet id fecerit, quia tamen formam sibi datam, propter quod ab eo ad nos extitit appellatum, excedens, terram sanctam, quod est inauditum a saeculo, post appellationem huius sententiae supposuit interdicto. Nos attendentes quod ob id, in maximum eiusdem terrae periculum, peregrini ex ipsa recederent, & alii inceptos ad illam transitus retardarent, dictam sententiam, quae utpote lata post appellationem legitimam ipso iure nulla fuerat, in omnibus aliis praefati alii archiepiscopi intacto remanente processu sufficienti, ab ordinibus, nobilibus & comitatibus regni praedicti cautione recepta, in omni sinceritate de fratrum nostrorum consilio duximus relaxandam. Quod ergo ipse de nobis ob hoc labiis pollutis obloquitur, vester animus non turbetur; quia cum sit vas repletum vitiorum spurcitia, ea, quae ipsius infecerunt animum, putat in aliis criminum defauiure tormenta: ex quo, cum malorum opprobria laudem, laudes quoque opprobrium resonent, a viro, cuius omnis lingua clamat infamiam, suggillationibus impeti eligi.

Concil. Tom. 28.

Tt

* & B. Petri patri-
monium
occupa-
rent. Vi-
dete igi-
tur quae
nobis sub
paradi va-
rietate
modus
iste pe-
stifer.

mus multo fortius quam laudari. Sed forsan maculam opinionis suæ his credit abolere conuiciis, quia se dum Viterbii moraretur inficiens, a facie hostium ecclesiæ non verecundus aufugit; & ad defensionem suorum fidelium, quos ipsius hostes in oculis eius obsederant, & terram nullo prohibente vastarant, affirmans suum per nos ad illos interdici progressum, imperialis honoris prodigus, sed timore prohibitus non accessit; ex eo innocentiam nostram accusans, quod ad euitanda huius belli dispendia nuntium a latere nostro non misimus. Sed nec mirum, cum eo tempore status ecclesiæ multiplici fuisset persecutorum afflictione turbatus. Venimus autem ad ciuitatem Castellanam, cuius ciues se illi, violato sacramento fidei, ecclesia ignorante prodentes, nullum ius ei per hoc in seipsis acquirere, nullum nobis circa possessionem, cum iurisdictionem ciuitatis & ciuium quasi possideret, ecclesiam prodendo, potuerunt præiudicium generare: quia illi a quibus alteri potius quam sibi possidentibus non requiritur possessionis initium, leges possessionum euertere, & extraneis iura conferre nequeunt possessorum. Nec non qui de reddendis possessionibus ecclesiæ ratione ad eum pertinentibus pluries iuramentum præstiterat, satis improuide a nobis videbatur petere, quod non poterat absque periurio retinere. Nec credi debet in hoc nos, sibi omnimodam coram arbitris vel alio modo iustitiam exhibere paratos, fratrum nostrorum despexisse consilium; quod nuntius eius inceptum iudicium recusantibus prosequi, non fuerat requirendum; quin potius hanc petitionem ea dumtaxat fraude intentasse proponitur, vt sic ei obloquendi de ecclesia, & pacem inter ipsam & eum initam irritandi occasio præberetur. Illud quidem quod super facto imperii inter cetera sua detestabilis testatur epistola, nostris edisserit his literis calamus, vt quo pluribus eius fictio cognita fuerit, eo fortius ex suo maneat commento confusus; dum de nobis obtrahat, quod ad nostram translato notitiam eum ad recuperanda iura imperii cum multis bellatorum intrare millibus Lombardiam, sibi ne Italiam intraret armatus, & de negotio Lombardorum in nos præcisè compromitteret, apostolico scripto mandauimus, vt illud perpetuo

suspendere, vel ius imperii libere suffocare possemus, contra ipsum venerabilem fratrem nostrum Prænestinensem episcopum, per quem eius vacuaremus propositum, transmittens, ei impedimentis clandestinis per legatos & literas nostras per orbem vndique procuratis. Iste vero, cuine veritatem fateri, aut enarrare possit iudicium, a diuina forsan est indignatione negatum, sicut obrectationes personæ nostræ non verecundatur ex falsis assumere; sic & excusationes suas ex similibus propositionibus non veritus ordinare, se per nuntios suos venerabilem fratrem nostrum Panormitanum archiepiscopum, & quosdam alios ad apostolicam sedem missos, deuotionem omnimodam super ecclesiastica libertate & reformandis ecclesiæ & imperii iuribus obtulisse: nosque id attentantes & promittentes a cuiuslibet ipsius impedimento cessare, nuntiis suis ad eum redeuntibus, dilecto filio Gregorio de Montelongo, notario nostro, in suorum euerfionem fidelium, legationis officium commisisse asserit; ipsoque nihilo minus præfatos archiepiscopum & alios nuntios suos ad sedem apostolicam remittente, & offerente satisfactionem omnimodam, nos eum, contradicente saniore parte fratrum nostrorum, contra traditiones sanctorum patrum, & solennem morem ecclesiæ, iniuste excommunicasse falso concludit; pro sua confusione subiungendo, nos beati Petri vicarium non habere ligandi soluendique potestatem, quasi velit asserere nos concessa apostolorum principi carere clauium potestate. Quæsumus igitur libram rationis assumite, & in ea perpetratis per dictum Fridericum contra ecclesiam excessibus & beneficiis quæ ab ea recepit appensis, clarius videte, quod licet draco iste, qui ad illudendum nobis formatus, & in escam populo Æthiopum datus existit, aquas persecutionum in subuersionem ecclesiæ ex ore quasi fluuium miserit: apostolica tamen sedes ipsius nequitiam inæstimabili beneficiorum misericordia superauit. Nam eum olim ab annis teneris illorum morsibus, qui teram eius & sanguinem sitiebant, in lacuna confusionis expositum, parentum & amicorum solatio penitus pene nudum videns mater ecclesia, protinus circa ipsum nutricis & baiulæ officium executa, eum pallio apostoli-

Concil. Tom. 28.

Tt ij

ca protectionis operuit, de laqueo venantium eripuit, multis laboribus & expensis ad regni solium & coronam imperii sublimauit: insuper hoc ei fecisse modicum reputans, & sibi Hierosolymitanum subiici regnum, & illum vndique per orbem exaltari procurans, licet ab eodem multiplici se læsam afflictione doleret, a paucis tamen retroactis temporibus contra Henricum natum eius (qui partem non modicam Alemanniæ eius iurisdictioni subtraxerat) potenter astitit; & inflictorum sibi per eum oblita vulnerum, ipsum quasi de nouo in imperatorem erigens, Teutoniæ apostolicis literis ipse reformauit desiderio; his & aliis, quæ non sufficimus recordari, beneficiis ipsi conferens munimenta decoris. Sed iste baculus impiorum, terræ malleus, vniuersam conturbare terram, regna contere, & orbem desertum ponere cupiens, libertatem ecclesiasticam in dicto regno Siciliæ in opprobrium seruitutis extremæ adducens, & ecclesias quas, vt earum teneritudine suum ventrem impleret, quasi iam penitus exossasset, sordibus, oneribus, & angariis opprimens, eas bonis sacris deputatis sanctorum vsibus spoliavit, personas ecclesiasticas carceri mancipauit, ipsasque in examine vetito accusationes suscipere, tallias soluere, & bona ecclesiastica, vt se a vexationibus redimant, exhaurire, & postremo exulare coarctat. Ecclesiis pastorum solatio viduatis non permittit sibi sponsum eligere, viduitatis vestimenta deponere, donec alicuius adulterinis amplexibus per compulsionem extiterint copulata. De Christianorum habitaculis construens mœnia Babylonis, & ædificia, in quibus diuinum nomen excolitur, illuc transferens vbi Machometus perditus adoratur, turbis vndecumque collectis Crucifixi fidem & nomen publice prædicari in eodem regno prohibuit. Recuperationem terræ sanctæ & negotium Crucis impediens, ad eius consumptionem subsidium suorum fidelium conferri interdixit. Contra iuramentum præstitum, & pacis inter ipsum & ecclesiam reformatæ fœdera, nobiles priuatos castris & aliis bonis suis, vxoribus & liberis captiuatis, loca sua proscriptos relinquere, domicilia in aliorum transferre coloniam, nutritos in croceis amplexari stercora, & ad extremam coegit inopiam deuenire. Nec non dum afflictio-

ne comprimit simili pauperes, id tanto fortius Deo displicere putamus, quanto verius ipsos credimus innocentes. Quid plura? baronibus, militibus, & aliis hominibus eiusdem regni Siciliae, ad formam & conditionem seruorum inaudita crudelitate redactis, iam pro maiori parte ipsius regni habitatores non habent de proprio vnde stramine vili quiescere, nuditates suas rudi sacco contegere, vel ventrem pane possint miliatio saturare. Cumque vlulatus & clamores dictarum ecclesiarum & hominum, a tempore dicti Honorii prædecessoris nostri, ecclesiae aures continua deploratione pulsassent, & iam vix possemus eos absque læsione conscientiae sub dissimulatione transire, ipsum super correctione dictorum scelerum non semel, sed pluries, nuntiis & literis nostris monuimus, ac longa patientia temporibus expectauimus retroactis, si forsan oculos suos ad caelos erigeret, exutus veterem, nouumque indutus hominem, manus suas a tanta perpetrata facinorosa cohiberet. De petita insuper emendatione dubii adhuc, volentes statum eius proprio processu gratulari, eo Lombardiam cum armis intrante, mandauimus vt in locis pro quacumque causa interdicto subiectis, ipso praesente interdictum minime seruaretur: eundem Fridericum nostris literis admonentes, vt, ne Crucis negotium, quod ad vtilitatem ecclesiae, imperii & totius populi Christiani fuerat ordinatum, impediri valeret, praesens in nos compromitteret; ne si contra Lombardos armata manu procedens tantam daret exempli perniciem, praesumeretur a pluribus quod ceteros ecclesia fefellisset. Ceterum, quia redintegrare scissuras schismatis nostrae incumbit officio seruitutis; pro sedanda imperii & Lombardorum discordia, Praenestinum episcopum, commisso sibi legationis officio, illa consideratione potissime duximus destinandum, vt sibi & quibuscumque discordantibus minori haberetur ratione suspectus, quo suis actibus minus firmamenti odii vel amoris ingereret, qui a mundo & carne ex susceptione sanctae religionis abstractus, in diuini amoris altitudinem euolasset. Noster igitur detractor respondeat, quid ex hoc nobis & eidem episcopo poterit imputari, si Placentiae inter patres & filios, affines, consanguineos & germanos, ordinata concordia, eo praesente,

& protestante quod id saluis honoribus & iuribus imperatoris & imperii & quorumlibet aliorum fieret, consumptionem accepit? Quinimo idem blasphemus intelligat, sibi ad infamiam merito reputari, quod cum ad ipsius & nuntiorum suorum instantiam venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum, & filium nostrum T. tituli sanctæ Sabinæ presbyterum cardinalem, pro pace iuxta formam ab eisdem nuntiis inter Lombardos & imperium reformanda, ad partes misissemus easdem, idem dictis legatis petita & ampliora adimplere paratis, & delusis nobis, reformationem pacis per ipsos noluit acceptare. Ecce, nunc intelligite qualiter imperii iura conculcauimus. Ex præmissis aduertite qualiter hic a nobis fuerit impeditus; qui longo & inani labore suos & suorum humeros decreuit prius conteri, quam passus extiterit per nos iura imperii reformari. Præterea idem, illatis ecclesiæ non contentus iniuriis, data quibusdam rebellibus nostris non modica summa pecuniæ, seditionem contra nos in Vrbe molitus est pluries commouere; vt nobis & fratribus nostris a sede nostra repulsis, & concusso capite fidei, quod superædificauit Dominus, impulsu eiusdem Friderici rueret leuiori. Ferrariam & quasdam alias terras ecclesiæ in Lombardia contra iuramentum præstitum temere veniens occupauit. Super quo & aliis credens nos detinere inanibus verbis, dictos Panormitanum archiepiscopum & alios nuntios suos cum literis de credentia ad nostram duxit præsentiam destinandos. Quibus offerentibus nobis satisfactionem super præmissarum offensarum emendatione verbalem, ante & post ipsorum a curia nostra recessum terram Sardinia, Messanensem & Lucanensem dioceses occupare, ad Romanam ecclesiam pertinentes, non omittens, ipso facto, ne vltra eius expectarem correctionem, edocuit; ac non deberi fidem sibi vel suis nuntiis adhiberi operis euidentia demonstrauit. Ex quo illud solum in conscientia sua legens, quod eius ad conterendas ecclesias & catholicam fidem dirigitur, de nobis, quibus se iam quocumque fraudis vellere occultare non potest, non immerito suspicatur; quod ipsius potentiam habentes iustitiæ ratione suspectam, cum melius sit ante tempus occurrere, quam post inflictæ vul-

nera remedium inuenire, ad auertendas suorum progressuum femitas, officium legationis dicto notario commisimus: quod nequaquam iuxta ipsius suspensionem id fecimus, sed ut per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obuiare possemus. Ex præmissis igitur & aliis nequeutes de ipsius correctione sperare, & dolentes nos eius promissionibus toties & toties fuisse delusos, præfatum Fridericum, de fratrum nostrorum consilio, sententiâ excommunicationis duximus innodandum. Qui quamquam ex hoc perditum intellectum resumere, & coram Deo potius humiliari deberet, eo tamen amplius inde furens, quo iam suam confusionem agnoscens, fortius veretur ne ecclesiæ obstetricante manu educatur coluber tortuosus; nos ex personæ nostræ meritis indignos asserens qualibet officii auctoritate papalis, per nos prædicta sententiâ minime potuisse constringi suis præsumptuose literis asserit, & nos, qui temporibus nostris patrimonium ecclesiæ per gratiam Dei non modice ampliuimus, de dilapidatione bonorum ecclesiasticorum, dispensationum processu, receptione munerum, & auaritiæ uilitate redarguit; ac contra eum, ex illo quod contrahendis inter neptem nostram & naturalem eius filium sponsalibus petitem subtraxit assensum, prouocari falso confingit: illud apertius mentiens, quod Lombardis contra eum & imperium corporale præstitimus sacramentum; seu quod totius orbis decimas, terræ sanctæ utilitatibus reseruatas, conuertere promiserimus in eius compendium, si arbitrio nostro negotium exponeret Lombardorum. Fatemur autem nos defectu meritorum nostrorum indigne Christi esse vicarium: fatemur nos oneri tanto insufficientes existere, quod humana conditio non potest absque diuino suffragio supportare: nihilo minus tamen vices nobis commissas, prout melius nostra permittit fragilitas, exequentes, secundum quod locorum, temporum, personarum, & negotiorum qualitas & natura requirunt, disponenda disponimus: & cum excellentibus personis pure & secundum Deum, cum necessitas id exposcit, de nostræ potestatis plenitudine dispensamus. Verumtamen non est dolor qui sic profundo gladio eius feriat animum, sicut quod, dum terminos regum

transgreditur, non potest aggredi officia sacerdotum. Propter quod idem qui pro auri fame dictum regnum Sicilia iam redegit in cinerem, credens ex se, qui omni tempore vitæ suæ paucis pure, pluribus vero iustitiam precii venalitate corruptus exhibuit, quod in persona sua restitans magum Simonem, luto temporalium maculare posset ecclesiæ puritatem, ut sic in spiritualibus grassari, & in suis permitteretur sordibus remanere, murum integritatis ecclesiæ multis modis, & specialiter oblatione castrorum, ac parentela inter suos & nostros contrahenda, pro qua nos per quosdam prælatos & nuntios suos pluries requisivit, tentavit infringere. Nunc vero quia id nulla instantia nulloque ingenio (sicut est in curia nostra notorium) a nobis potuit obtinere, quin potius se cum suis perditioni relictum artium suarum fallaciis in peius proficere iam agnoscit, quia nesciat ultra quid faciat, se ipsum mendacio suo in aliorum detractione deturpat, more meretricis Ægyptiacæ, quæ Ioseph inuitavit ad stuprum, & ab ipso contempta, apud virum suum volens accusavit inuitum. Vnum quidem est de quo, etsi pro homine perduto sit dolendum, lætari non modicum & Deo regratiari debetis; quod volente Domino, qui diutius occultari non patitur umbram mortis, iste, qui gaudet se nominari præambulum antichristi, non expectans propinquum suæ confusionis iudicium, manibus propriis effosso suarum abominationum pariete, per dictas literas eius suarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis constanter proponens, quod per nos tamquam Christi vicarium vinculo excommunicationis astringi non potuit. Sicque affirmans non esse apud ecclesiam a Domino beato Petro & eius successoribus ligandi atque solvendi traditam potestatem, dum hæresim asserit, primo sibi argumento concludit; consequenter ostendens quod male sentiat de ceteris fidei orthodoxæ articulis, dum ecclesiæ, super quam fides fundata consistit, auferre nititur concessum verbo Dei privilegium potestatis. Sed quia minus bene ab aliquibus credi possit quod se verbis illaqueauerit oris sui, probationes in fidei victoriam sunt paratæ: quia iste rex pestilentiae a tribus barbaratoribus, ut eius verbis utamur, scilicet Christo Iesu, Moysi,

Moyse, & Machometo, totum mundum fuisse deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Iesum in ligno suspensum manifeste proponens. Insuper dilucida voce affirmare, vel potius mentiri præsumpsit, quod omnes fatui sunt, qui credunt nasci de virgine Deum, qui creauit naturam, & omnia potuisse. Hanc hæresim illo errore confirmans, quod nullus nasci potuit, cuius conceptum viri & mulieris coniunctio non præcessit: & homo debet nihil aliud credere, nisi quod potest vi & ratione naturæ probare. Hæc, & alia multa, quibus verbis & factis catholicam fidem impugnabit, & impugnat, suo loco & tempore, sicut decet & expedit, manifeste poterunt comprobari. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, in virtute obedientiæ per apostolica scripta districtè præcipiendo, quatenus, ne dictus Fridericus corda fidelium fallacibus verbis subuertere, vel contagione sua possit quomodolibet gregem dominicum maculare, clero & populo vobis subditis supradicta plene ac fideliter exponatis.

* nono
Iulii,
Datum Laterani * duodecimo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno decimotertio.

EPISTOLA XIII.
GREGORII PAPÆ IX.

AD NOBILES ANGLIÆ.

Angliæ magnates iure patronatus ecclesiæ priuantur.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis nobilibus viris, Richardo comiti Pictaviæ & Cornubiæ, & baronibus Angliæ præsentibus literas inspecturis, salutem & apostolicam benedictionem.

CVM ex operibus nostris, quæ plenum perhibent testimonium veritati, sit liquidum vniuersis, quod nos personam carissimi in Christo filii nostri illustrem regem & reginam, inter alios reges & principes orthodoxos & regna, in quibus nomen colitur Christianum, in caritatis visceribus specialiter gerimus, & pacem ac tranquillitatem eorum propensius affectemus, rite præsumi non po-

Concil. Tom. 28.

V u

rest, & omnino credi non debet, quod nos, quantum cum Deo possumus, agere seu tolerare velimus; quod iuste possit honorem regię serenitatis offendere, aut in eodem regno scandalum generare. Vnde cum intentionis nostrę non fuerit, nec existat, vt beneficia in regno Anglię constituta, quę ad pręsentationem pertinent sęcularium patronorum, auctoritate nostra cuiquam conferantur: sicut ex quibusdam literis nostris, quondam in Angliam destinatis, quarum tenorem de verbo ad verbum celsitudini regię sub bulla nostra duximus destinandum, colligitur euidenter. Nos comperto nuper ex eiusdem regis & vestrarum continentia literarum, quod quidam prędicti regni miles in ecclesia de Luthunum, Eboracensis diœcesis, quam olim cuidam de partibus nostris clerico, ignorantes quod pręsentatio ad laicum pertineret, contulisse dicimur, ius obtinet patronatus, pręlibati regis & vestris precibus inclinati, concessionem eandem auctoritate apostolica reuocamus: venerabili fratri nostro archiepiscopo Eboracensi nostris dantes literis in mandatis, vt eum, quem dictus miles ad pręfatam ecclesiam duxerit pręsentandum, admittat & instituat in eadem, prout pertinet ad eundem, diuturnitate temporis, cum per ipsum minime steterit, non obstante, dummodo aliud sibi rationabile non obstat. Tenore pręsentium districtius inhibendo, ne alicui de cetero liceat ecclesias prędicti regni, in quibus sunt laici patroni, pręter eorum assensum, apostolicę sedis auctoritate conferre.

Datum, &c.

EPISTOLA XIV.

GREGORII PAPÆ IX.

AD OTTONEM CARDINALEM LEGATVM
IN ANGLIA.

De eodem.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei legato salutem
& apostolicam benedictionem.*

Ad tuam volumus notitiam peruenire, quod cum intentionis nostrę non fuerit nec existat, vt beneficia

regni Angliæ, quæ ad præsentationem sæcularium pertinent patronorum, auctoritate nostra cuiquam conferantur; nos nuper ex carissimi in Christo filii nostri regis illustris, & nobilium virorum comitum & baronum Angliæ, insinuatione comperto, quod quidam regni Angliæ miles in ecclesia de Luthunum, Eboracensis diocæsis, quam olim cuidam de partibus nostris clerico, ignorantes quod præsentatio ad laicum pertineret, contulisse dicimur, ius obtinet patronatus; regis & nobilium eorundem precibus inclinati, concessionem eandem auctoritate apostolica reuocantes, venerabili fratri nostro archiepiscopo Eboracensi nostris dedimus literis in mandatis, vt eum, quem dictus miles ad præfatam ecclesiam duxerit præsentandum, admittat & instituat in eandem, prout pertinet ad eundem; diuturnitate temporis, cum per ipsum minime steterit, non obstante, dummodo aliud rationale non obstat: districtius inhibendo, ne alicui de cetero liceat ecclesias regni prædicti, in quibus laici sunt patroni, præter eorum assensum, apostolicæ sedis auctoritate conferre. Datum, &c.

EPISTOLA XV.

GREGORII PAPÆ IX.

AD ARCHIEPISCOPVM BREMENSEM
ET EPISCOPVM VERDENSEM.

De electione episcopi ecclesiæ Zuuerin.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus
archiepiscopo Bremensi & episcopo Verdensi salutem
& apostolicam benedictionem.*

Ex parte dilectorum filiorum, decani & capituli Zuuerin. ecclesiæ, propositum fuit coram nobis, quod eadem ecclesia pastoris solatio destituta, episcopi conuenientes in vnum, de futuri substitutione pontificis tractaturi, quasi diuinitus inspirati, omnes voto vnanimi & voluntate concordii in dilectum filium, præpositum ipsius ecclesiæ, virum, vt asserunt, scientia præditum, disciplinis ecclesiasticis eruditum, & morum honestate præclarum, per cuius industriam dicta ecclesia, in medio præ-

Concil. Tom. 28.

Vu ij

† Euripidis
est:
rebus de omni
genere quai-
sunt,

uæ & peruersæ nationis posita, posse creditur a suis tribulationibus & angustiis respirare, sua desideria direxerunt, votis tam cleri quam populi concurrentibus in eundem. Sed intellecto quod defectum in † natalibus patetur, vtpote de quodam milite soluto genitus & soluta, ad electionem non processerunt ipsius, sed ad nos potius habuere recursum, nobis tam per literas quam per dilectos filios magistrum Elerum Hamburgensem, ac Sibonem Zuuerin. Canonicos nuntios suos, viros prouidos & discretos, qui apud nos super assumpti promotione fideliter institerunt, humiliter supplicantes, vt vtilitate ac necessitate ecclesiæ supradictæ pensatis, supplentes defectum huiusmodi, ipsum eis in patrem & pastorem animarum eorum concedere curaremus, vestris & plurium aliorum tam prælatorum & capitulorum, quam nobilium pro ipso supplicantium, nobis literis præsentatis, qui eum super præmissis reddunt multipliciter commendatum. De vestra igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus de modo postulationis studiis postulantium & postulati meritis, veritate sollicitè inquisita, si postulationem ipsam alias inueneritis de persona idonea canonicè celebratam, cum eo super huiusmodi defectu auctoritate apostolica dispensantes, præficiatis eum eidem ecclesiæ in episcopum & pastorem, ac faciatis ei a subditis Zuuerin. ecclesiæ obedientiam & reuerentiam debitam exhiberi; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Alioquin prouideri præfatæ ecclesiæ de persona idonea per electionem canonicam faciatis.

Datum Laterani decimotertio Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

EPISTOLA XVI.
GREGORII PAPÆ IX.
AD OMNES EPISCOPOS.

Vt ad Concilium venire non differant.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri tali
episcopo vel tali salutem & apostolicam
benedictionem.*

PETRI nauicula, matris ecclesiæ sinus, quasi negotio-
rum opera fluctibus & quæstionum vrgentium agita-
ta procellis, dexteram Iesu saluatoris implorat. Ea quidem
flatibus Aquilonis impulsa, dormire videtur Dominus,
nutant discipuli, nautæ quasi naufragii verentur ventum
& euentum, populi trepidant, clamat Petrus: vtinam te-
pescentibus ceteris saltem porrigerent filii opem & ope-
ram consilii salutaris, nec ipsam fluctus inuoluat, nec pi-
rata crudelis abducat. Porro fœdere naturalis pactionis ir-
rupto, fides quatitur, caritas refrigescit, tepescit deuotio,
crescit & inualescit iniquitas in Dominum & proximum
commissura, ex quibus fidei Christianæ profectibus eui-
dens præstatur obstaculum, sequuntur dispendia, & plebs
deuota fidelium, beneficio quietis excluso, variis molestiis
fatigatur. Quæ communis statera iudicii apostolicæ di-
gnitatis auctoritas iustæ discussionis examine prudenter
appendens, vt omnium generalis & vna mater vtilitati
prouideat, singulorum manus fortium, regum videlicet,
prælatorum, principum, & aliorum fidelium, non in-
digne aduocare decreuit, vt multiplicatis clamoribus Do-
minum suscitaret dormientem, & plurimum adiuta consiliis
prementia faciat onera leuiora, expeditionis optatæ por-
tum feliciter petitura. Inter quos te, frater episcope, de-
uotum ecclesiæ filium, & nobile membrum ipsius, vt
venires ad matris ecclesiæ gremium ad proximum ventu-
rum festum resurrectionis dominicæ literis recolimus a-
postolicis conuocasse. Verum, sicut pro certo didicimus,
singularis ille dudum ecclesiæ filius, apostolico prouectus &
defensus auxilio, de puero tunc omni destituto suffragio
ad imperii culmen humero materno translatus, ea non

V u iij

Locus corruptus.

contentus iniuria, qua mercede recompensans, in qua patris irrumpit solium, matris exponere pudicitiam, & vendicare sanctuarium indeuotus intentat, astutus ad hæc in ipsa armatur insidiis, prælatis nuper vocatis a nobis accessum suis terroribus interdicens, vt nullius expers calumniæ, illam quam grauibus infestat molestiis, nec in filiorum patiatur solatio respirare. Cum igitur tam sanctum generalis vtilitatis propositum sub fiducia diuini fauoris assumptum humanis non debeat versutiis retardari, fraternitatem vestram rogamus, monentes attente per apostolica scripta, & districte præcipiendo mandantes, vt Deum præferens homini, & difficultatibus omnibus ob meritum fidei anteponeus, in supradicto termino ad sedem apostolicam accedere non omittas: vt mater filiorum roborata præsentia, hostis aduerfantis obstaculo prouidentia diuina sublato, piæ intentionis exordium felici consummatione concludat. Nos enim super omnibus quæ ad tantum negotium expediunt, annuente Domino, prouidere curabimus, prout tibi ex parte nostra plenius exponetur. Datum Laterani, Idibus Octobris, pontificatus nostri anno decimoquarto.

CONCILIVM ROMANVM
PRO EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM
suscipienda indictum anno Domini MCCXXXIV. sub
Gregorio IX. papa.

NOTA.

^a *Concilium.*] Bzouius auctoritate epistolarum a Gregorio IX. scriptarum acta huius Concilii summatim enarrat his verbis: Eodem anno Gregorius pontifex recuperationi terra sancta intentus Concilium Roma celebrauit. Intererant cum imperatore Friderico & archiepiscopis atque episcopis, patriarcha Constantinopolitanus, Antiochenus & Hierosolymitanus. Ex omnium iudicio decreta est expeditio generalis ad subueniendum rebus Syriacis. Huic sacro negotio prepositus fuit Theodoricus archiepiscopus Rauennas, cum potestate legati de latere: quem vt omnes debito honore prosequerentur, & in rebus agendis illi obtemperarent, ex sententia Concilii Gregorius omnibus archiepiscopis & episcopis in regno Hierosolymitano scripsit Spoleti sexto Augusti: Fridericus autem imperator vniuersis baronibus, militibus & populo idem precepit, datis Reate literis anno dominica incarnationis 1234. mense Augusto, indictione septima. Concessit tunc Gregorius Theodorico & subiunctis illi